BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
164
L
6
NAPOLI

110
6
34

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

AD USUM STUDIOSÆ JUVENTUTIS

AUCTORE

CAJETANO DE FULGURE

AVERSANÆ

CATHEDRALIS ECCLESIÆ CANONICO

OLIM

IN AVERSANO CLERICORUM SEMINARIO S. THEOLOGIÆ PRÆCEPTORE

Editio quinta auctior, et emendatior.

TOMUS VI.

Exercitatio de Veritate Divinarum Scripturarum contra incredulorum, et haereticorum cavillationes, et calumnias.

NEAPOLI

APUD VIDUAM REALE, ET FILIOS

1828.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE III NA

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

Cum in duobus nostrarum Institutionum *locis de Divinarum veritate Scripturarum fuerit disputandum, neque tamen omnia ibi adversariorum argumenta proponere, pro instituti brevitate, atque refellere potuerimus, gratum me lectoribus facturum opus putavi, si eadem de re seorsim a reliquis Theologiae libris peculiari Dissertatione explicarem, in qua quidem, quia adolescentibus commendanda memoriae non praecipitur, reprehendi prolixior rerum copia non posset; liberumque esset iis, qui nostra legerent, vel eam omnino, si necessariam sibi non putarent, respuere, vel a ceteris habere sejunctam. Ceterum non est animus omnia impiorum mendacia, scurrilitates, blasphemias proferre in medium, quae nimium patienter, docte tamen, et erudite septem voluminibus post editas* Institutiones *nostras collegit, ac refutavit* D. Du-Clot (a) *quem consulere facile poterunt si quibus nostra brevitas fortasse displiceat. Neque vero ea hic tractabimus, quae contra rerum creationem ex nihilo, contra miracula, aut contra Religionis Christianae mysteria ab Atheis, aliisque incredulis objecta sunt, quaeque in Institutionibus ipsis breviter, ac dilucide confutavimus, ea igitur dumtaxat attigimus, quae vel sibi mutuo in sacris litteris vel rectae rationi adversari, temere per-*

(a) Du-Clot. (*S. Bibbia vendicata traduz. dal Franc. Nap.* 1821.

versi homines, *qui* quaecumque ignorant blasphemant, *calumniabantur. Eandem tamen, quam in* Institutionibus *ipsis, disputandi methodum, ac rationem sectati sumus, ne si fusiorem, floribusque eloquentiae refertam orationem instituissemus, Rhetorum quidem plausus aucupari disputatio nostra; adolescentibus tamen, quorum spectamus commodum, minus utilis esse videretur. Vale,*

DE VERITATE DIVINARUM SCRIPTURARUM EXERCITATIO

contra incredulorum, atque haereticorum cavillationes, et calumnias.

PRAEFATIO.

Quamvis de divina Sacrorum librorum auctoritate, quantum instituti nostri patiebatur brevitas, tum *Lib. I. Cap.* 8. tum *Lib. II. Cap.* 3. disputaverimus; tamen quia multa ibi necessario praetermittenda putavimus adversariorum argumenta atque calumnias; juvat hic rem eamdem retractare pari sermonis brevitate, ac perspicuitate diligentius, ne aut illi non omnes fuisse tricas suas per nos expositas, atque exsufflatas glorientur, aut adolescentes nostri, si quando in Theologicis concertationibus, adversarius novum argumentum, quasi improvisum aliquod, ac venenatum telum jecerit, medicinae faciendae rationem invenire non possint.

§. I.

Quid increduli, atque haeretici contra divinam Scripturarum auctoritatem affirmaverint.

I. 'Cum sacrarum litterarum libri Christianae fidei regula sint, mirum non est, si in eos impii homines, et increduli, quamvis aliis in rebus secum invicem discordes, conspiratione facta, toto conatu insurrexerint. *Roussojus* quidem in *Emilio* Evangelii majestatem miratur, nec humano ingenio fingi, aut componi potuisse concedit, sed in eodem absurda, ac repugnantia contineri mentitur. Similem calumniam contra omnes scripturarum libros *Spinoza*, *Hobbesius*, *Voltairius*, *Collinsius*, *Tyndal*, *Bolinghrokius*, aliique ejusdem generis male

feriati libellorum compilatores repetere non cessant, atque impudenter ingerere.

II. At haeretici, qui Christiano nomine gloriantur, quamvis Scripturae libros divinitus inspiratos fuisse fateantur, non omnes tamen eos recipiunt, et agnoscunt, quos in *Canonem* Scripturarum Catholica Ecclesia recenset, ut *Lib. II. Cap.* 3. §. 2. explicavimus, eosque praesertim rejicere libros consueverunt, in quibus apertius eorum haeresis damnata est. Unde ait Hieronymus *in Epist. ad Tit.* hanc semper fuisse haereticorum consuetudinem, *ut quidquid contrarium suo dogmati viderent, vel eraderent, vel etiam integre repudiarent.* Et Hieronymo antiquior Tertullianus, *Lib. de praescript. Cap.* 17. *Ista haeresis non recipit quasdam Scripturas, et si quas recipit, non recipit integras: ad dispositionem instituti sui intervertit adjectionibus, et detractionibus.*

III. Hinc *Simoniani*, *Marcionistae*, *Manichaei* totum vetus testamentum respuebant, ex novo autem *Lucae* Evangelium, aliaque perpauca mutilata, atque corrupta retinebant, ut *Irenaeus*, *Epiphanius*, *Augustinus*, memoriae prodiderunt. *Ebionitae* vetus quidem recipiebant Testamentum, at ex novo solum *Matthaei* Evangelium, *Cerinthiani* solum *Marcum*, *Alogi* tria tantum *Matthaei*, *Marci*, et *Lucae* recipiebant Evangelia, *Joannem* vero respuebant. Alii *Jobum*, alii Davidicos Psalmos, aut *Ecclesiasten*, aut *Canticum Canticorum*, alii alios rejecere libros, ut fuse explicant Bartholomaeus Germonius *Lib. I. De haereticis Ecclesiasticorum codicum corruptoribus*, et Bellarminus *Lib. I. Cap.* 5. *et* 6.

IV. Catholici ex Concilii Tridentini definitione Libros Scripturarum LXXII. ut canonicos recipiunt, ex veteri scilicet Testamento Libros XLV. ex novo XXVII. ut in *Lib. II. Cap.* 3. diximus, ex quibus alii *Protocanonici* dicuntur, quia prius in canonem relati, atque divini agniti sunt, alii vero *Deuterocanonici*, quia posterius inter canonicos recensiti. En igitur juxta Catholicos Scripturarum Canon: *Pentatheucus*, libros habens quinque *Genesim*, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros*, *et Deuteronomium*, liber *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *quatuor*

Regum, duo *Paralipomenon*, duo *Esdrae*, quorum secundus dicitur etiam liber *Nehemiae*, *Tobias*, *Judith*, *Esther*, *Job*, *Psalmi* 150. *Proverbia*, *Ecclesiastes*, *Canticum*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, quatuor Prophetae dicti *majores*, quia fusius seripserunt, et duodecim *minores*, et duo *Machabaeorum*. Hi sunt libri XLV. veteris Testamenti. Ex novo vero Testamento quatuor *Evangelia*, *Acta Apostolorum*, *Pauli* Epistolae quatuordecim, Epistolae *Petri* duae, *Joannis* tres, *Jacobi* una, *Judae* una, et *Apocalypsis*. Ex his *Tobias*, *Judith*, *Baruch*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, libri *Machabaeorum*, et nonnullae partes *Danielis*, *et Esther*, nec non Epistola Pauli *ad Hebraeos*, Epistola *Jacobi*, *Judae*, *secunda Petri*, secunda, et tertia *Joannis*, et *Apocalypsis* Deuterocanonici sunt; reliqui Protocanonici.

V. Lutherani eos veteris Testamenti libros respuunt, quos Judaei non habent in *Canone*, scilicet *Tobiam*, *Judith*, *Baruch*, *Sapientiam*, *Ecclesiasticum*, libros *Machabaeorum*, et partes aliquot *Danielis*, et *Esther*. Verum a Lutheranorum audacia Judaeorum sententia valde abhorrebat; quippe qui libros illos, quos paulo ante diximus, etsi in canone illo non habebant, quem *Esdras* condidisse perhibetur; magni tamen faciebant, eorumque non modo non contemnebant, sed reverebantur, ac suspiciebant auctoritatem, ut ex ipsis Rabinorum testimoniis ostendunt eruditi; ita ut Ecclesia nonnisi a Judaeis ipsis eos libros magna veneratione servatos acceperit, ut in *Prolegomenis* fatetur *Waltonus*. Ex novo autem testamento rejiciunt Lutherani Pauli Epistolam ad *Hebraeos*, Epistolam *Jacobi*, *Judae*, secundam *Petri*, secundam, et tertiam *Joannis*, et *Apocalypsin*. Calviniani vero ex veteri quidem testamento eosdem rejiciunt libros, quos Lutherani; at novi Testamenti libros, quos Lutherani respuunt, receperunt.

VI. Sunt tamen nonnulli, qui post *Erasmum*, *Cappellum*, aliosque veteres haereticos, ipsos, quos recipiunt Scripturae libros, non in omnibus suis partibus divinitus inspiratos esse docent, in quibus ajunt, sacros scriptores aut memoria lapsos, aut suo ingenio locutos: et praesertim in historicis Scripturae libris nullam factam esse divinitus inspirationem, contendit *Grotius*.

Digitized by Google

VII. E contrario Catholici nonnulli Theologi non ignobiles, ut *Estius*, aliique, non solum in singulis partibus sacram Scripturam docent inspiratam esse divinitus quoad sensum, verum etiam quoad ipsa verba. Alii tamen post *Bellarminum* putant, exceptis fidei mysteriis, quae humanam superant rationem, in quibus verborum mutatio errori obnoxia esse posset, in reliquis quoad sensum dumtaxat inspiratam esse Scripturam; verba vero sacrorum delectui Scriptorum permissa.

§. II.

Ostenditur, Sacros Scripturarum libros fuisse singulis in partibus saltem quoad sensum divinitus inspiratos.

Adv. I. Quinam scripturarum libri in sacro recensendi sint *canone*, dicemus inferius; nunc de iis disputamus, qui a Catholicis pariter, atque ab haereticis sacri atque canonici existimantur.

II. Inspiratio autem, ut in *Lib. II. Cap.* 3. advertimus tria complecti potest, 1.° scilicet revelationem antea ignotae veritatis; 2.° Divinum quendam afflatum, sive impulsum, quo a Spiritu Sancto incitatur animus ad ea scribenda, quae Deus dictaverit, quamvis antea non ignota, ut majori, ac supernaturali certitudine res scribendas cognoscat, nec ad inutilia dilabatur; 3.° Praesens Dei auxilium, sive ut Scholae ajunt, *adsistentiam* ne in scribendo erretur. Perspicuum est autem, scriptores sacros non in omnibus divina indiguisse revelatione, cum multa vel suis ipsi oculis viderint, ut *Moyses* Ægyptiacas plagas, vel ex fide dignissimis testibus acceperint, ac traditione certissima, ut *Lucas* Historiam Evangelicam *Luc* I. 2. Contra vero solam non sufficere *adsistentiam*, ut liber aliquis inspiratus existimetur, non minus manifestum est, cum et Conciliorum canones Spiritu Sancto adsistente conditos et profiteamur, et credamus, neque tamen propterea existimamus inspiratos esse divinitus. Reliquum est igitur, ut cum sacros libros a Deo inspiratos esse dicimus, saltem eos Deo et impellente et adsistente intelligamus esse conscriptos,

imo et revelante ea, quae nulla humanae intelligentiae vi cognosci a sacris Scriptoribus poterant.

PROPOSITIO.

Sacri Scripturarum libri divinitus inspirati sunt quoad singulas eorum partes, saltem quoad sensum. Est dogma fidei.

Prob. 1a. *pars.* Nonnulli priorem hanc *prop.* partem directe ostendere instituerunt, demonstrando scilicet, eos libros esse genuinos; ex quo consequitur, veras esse prophetias, atque miracula, quae in iis enarrantur; quae cum nonnisi a Deo patrari possint, atque in confirmationem mendacii fieri nequeant, hinc libros ipsos divinitus inspiratos esse concludunt. Quae quidem ratio si cui placuerit, patetque meliorem; poterit eam ex variis colligere nostrarum *institutionum* locis, in quibus breviter quidem, sed quantum satis esse putavimus, pertractata est. Sed quia aliquanto videtur prolixior, juvat rem breviori via, et ratione demonstrare.

Illi igitur libri divinitus inspirati sunt, quos Religio evidentissimis signis a Deo revelata, atque instituta, ut divinitus inspiratos, imo ut doctrinae totius suae fundamentum, ac regulam habet; si enim id falsum esset, jam religio, quae id docet, falsa esset, neque a Deo revelata. Atqui Christiana religio evidentissimis est signis a Deo revelata, atque instituta, ut fuse *Lib. I.* ostendimus, eademque sacros libros, ut divinitus inspiratos totiusque doctrinae suae fundamentum habet, ac regulam. Ergo.

Prob. 2a. *pars.* I. Si vel una Scripturarum particula non a Deo inspirata, sed humano ingenio composita existimetur, nutabit omnis Scripturarum auctoritas, nullaque erit pars, quae hanc calumniam ferre non possit; ideoque inutilis prorsus revelatio esset; cum semper homines fluctuarent ambigui, utrum aliquid revelaverit Deus, an homines commenti sint. Aut ergo in omnibus partibus inspirati sunt libri Scripturarum, aut in nulla. Falsum est posterius, ut in priori parte propositionis evicimus. Ergo

Prob. II. contra haereticos, qui libros quidem Scripturarum divinos agnoscunt, sed non in omnibus divinitus inspiratos esse docent. Apostolus de universa Scriptura *II. Tim. III.* 16. *Omnis*, inquit, *Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum etc.* Patres vero unanimi consensu docent, Spiritum Sanctum esse Scripturarum auctorem, qui eas dictavit; sacros vero Scriptores esse veluti ejus calamum, et manum. Unde Chrysostomus *Hom. I. ad Pop. Nec illas*, inquit, *quidem, quae tenues esse putantur, Scripturarum sententias praetermittamus; nam et ipsae de spiritus gratia sunt.* Ergo.

Prob. 3a. *pars.* Ut aliquid ab aliquo dicatur inspiratum, atque dictatum, saltem quoad sensum inspiratum esse necesse est; si enim ne quoad sensum quidem inspiratum sit, nullo pacto inspiratum esse putandum est. Utrum autem Scripturarum divinarum libri omnibus in partibus inspirati sint quoad sensum dumtaxat, an etiam quoad verba, non adeo explorata, atque expedita controversia est; cum *Estius*, aliique viri doctissimi defendant posteriorem partem, *Bellarminus*, nostra quidem sententia verisimilius, priorem: exceptis tamen iis partibus, quae mysteria continent sublimiora, in quibus, quia verborum mutatio sensum etiam mutare poterat, etiam verba divinitus inspirata esse existimandum est. Vide quae diximus *Lib. II. Cap.* 3. §. 1. Nunc enim, quod in hac Dissertatione praecipue propositum habuimus, adversariorum objecta refutanda sunt.

§. III.

Refutantur adversariorum objecta.

Objic. I. Non satis accuratam creationis descriptionem instituit auctor *Pentateuchi*, quem adversarii *Moysen* esse nolunt, (quorum tamen stultitiam *Lib. II. Cap.* 3. §. 3. confutavimus). Silet enim de creatione materiae ex nihilo, sed ait dumtaxat · *Creavit Deus*, quo verbo utitur etiam ad explicandam rerum productionem ex jam extante materia. Non meminit creationis Angelorum aliarumque rerum etiam visibilium. Ergo non videtur opus illud Spiritu Sancto dignum. Ita fere olim arguebat *Julianus apostata.*

℟. *Dist ant.* Non satis accuratam instituit descriptionem, hoc est quae Philosophorum curiositati satisfaciat, *transeat.* Non satis accuratam, idest non satis aptam ejus proposito, *neg.* Non ergo propositum habebat *Moyses* Philosophicam de rerum principiis instituere disputationem, sed homines erudire, ne creaturae servirent potius, quam creatori. Id satis exequitur verbis illis: *In principio creavit Deus caelum, et terram,* quibus verbis quidquid caelo, terraque continetur, ipsosque Angelos, imo ipsam materiam complexus est, ideoque verbum illud *creavit* in exordio *Genesis* de creatione ex nihilo semper Hebraei intellexerunt, ut *Lib. V. Part. I.* diximus; licet aliquando usurpetur pro rerum formatione ex materia jam extante. Ita *Cyrillus* Alex. *Juliano* respondit *Lib. II. cont. Julian.*

Objic. II. *cum. Voltairio* Auctor Pentateuchi *Cosmogoniam* suam mutuatus videtur a Phoeniciis. 1.° Etenim ait: *creavit Elohim caelum, et terram*, quod nomen *Elhoim* plurali numero Deos minores significat; 2.° ait: *terra autem erat inanis, et vacua*: sed in Hebraeo est: *thohu bohu*, quae verba significant *Chaos* veterum; 3.° ait, *Elohim* sex diebus *chaos* digessisse in hanc, quam videmus mundi molem. Haec autem erat *Cosmogonia* Phoenicum, ut patet ex *Sanchuniatone*. Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad* 1m. Vox *Elohim* plurali numero, cui verbum singulare *creavit* adjungitur, vel obscure significat plures in una natura personas, ut *Lib. IV* diximus, vel ipsam potentiam, sapientiam, et fortitudinem Dei. Absurdum vero est, *Moysen*, qui unum Deum ubique praedicat, plures Deos somniasse. Adeo vero evidens est, vocem *Elohim* plurali numero unum Deum significare, ut etiam iis in locis, in quibus Moyses unum esse Deum inculcat, vocem *Elohim* adhibeat, ut *Deuter. IV.* 35. *Deuter. VI.* 4. *et alibi*, neque hoc ab Hebraicae linguae ingenio alienum est, cujus valde ignarum se prodit Voltairius. Sic *I. Reg. XXVIII.* 13. cum Pythonissa Samuelem, ejusve umbram vel imaginem vidisset, ait; *Vidi Elohim ascendentes de terra*; unum tamen Samuelem viderat, subdit enim: *Vir senex ascendit, et ipse amictus est pallio. Ad* 2m. *thohu, vebohu* significat, terram fuisse incompositam, cum primum

creata est. *Ad* 3m. Absurdum est *Moysen* sex creationis dies a Phoeniciis didicisse, tum quia scripsit antequam terram Chanaan attingeret; tum quia nullum est Phoenicum monumentum *Moyse* antiquius. Ipse *Sanchuniaton*, si vere extitit, quod eruditi nonnulli negant, longe est *Moyse* posterior, ideoque ille potius *Cosmogoniam* suam ex libris Mosaicis foede corruptis informavit. Vide Nonnotum in *Dictionario*.

Objic. III. In ipso sui operis exordio *Moyses* pugnantia loquitur. Ait enim, extitisse lucem, ac tenebras, diem ac noctem, antequam esset Sol, quem quarta tandem die cum ceteris sideribus creatum esse tradit; quod quidem manifeste repugnat, cum a Sole ipso dies, noctesque distinguantur. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* quo nihil adversarii excogitare poterant insulsius. Primo enim die ait *Moyses*, creatam esse lucem; sive ignis elementum, prius in universa materiae massa undequaque dispersum, in locum unum fuisse magna ex parte coactum. Porro ex hoc igne, ex quo non poterat non emicare lux, dies noctesque discerni poterant, vel quia ignis ipse circumagebatur circa tellurem, vel quia (in Copernicana hypothesi) tellus ipsa circa axem rotabatur. Ex hoc autem ignis elemento quarta die Sol, sideraque cetera formata sunt.

Objic. IV. Luna dicitur a Moyse luminare magnum. Atqui hoc falsum est; cum stellis, quae dicuntur *fixae*, longe illam esse minorem, Physici demonstrent. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Luminare magnum quoad sensus nostros, quia telluri vicinior est; et quoad lumen, ex quo luminare dicitur, quia magis lucet ipsa lumine solis, quam omnes stellae lumine suo, *conc.* Luminare majus quoad molem, *neg.*

Objic. V. Descriptio Paradisi *Gen. II.* evidenter absurda videtur. Ait enim auctor, fluvium emanasse *de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita, nomen uni Phison, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum, et ibi invenitur bdellium, et lapis onychinus. Et nomen fluvii secundi Gehon, ipse est, qui circumit omnem terram Æthyopiae: nomen vero fluvii tertii Tigris, ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus ipse*

est Euphrates. Porro si *Gehon* terram Æthyopiae circumibat, non alius esse poterat, quam *Nilus*. Quis autem patienter audiat, Nilum, qui ex interioribus Africae regionibus oritur, eandem habere scaturiginem, quam flumina Asiae Euphrates, et Tigris, quorum scaturigines vicies centena millia passuum circiter a fontibus Nili distant? Ergo. Ita *Voltairius* arguit in *Dictionario*, et in *Quaestionibus Encycloped.*

℟. *Neg. ant.* Quod enim ajunt, *Gehon* fuisse *Nilum*, absurdum est adversariorum cerebro excogitatum, non a sacro Scriptore positum, qui certe super Nilo natus longe melius, quam adversarii, sciebat, eum ex interiori Africa oriri; quamvis nonnulli interpretes ex antiquitatis imperitia *Gehon* esse Nilum crediderint. Sed Moyses ait *Gehon* circuisse *omnem terram Chus*, quam Vulgatà vertit *AEthyopiam*, quia Æthyopia, sive terra Chus, duplex erat, altera in Asia, quam circuit *Gehon*, sive *Araxes*, qui terram Chus alluens, in mare Caspium se exonerat; altera in Africa.

Inst. 1.° Ait Moyses, flumen *Phison* circuisse regionem *Hevilath*, ubi nascitur aurum, et invenitur bdellium, et onyx. Atqui *Hevilath* non alia est, nisi ea; quae hodie dicitur *Mingrelia*, quam alluit *Phasis* sive *Phison*; quae quidem regio a paucis habitatur barbaris, qui vivunt rapiendo aliis aurum, non suum praebendo. Ergo.

℟. *Trans. min. neg. cons.* Quae enim hodie *Mingrelia* dicitur, atque a barbaris habitatur, ea est, quam *Cholchidem* dixere veteres, auro foecundissimam, lapidibusque pretiosis. Et quamvis a barbaris hodie habitetur, fertilis tamen est ejus soli natura, licet barbari rapto vivere malint.

Inst. 2.° Nullus est ubique terrarum locus ex quo oriantur *Tigris*, *Euphrates*, *Phison*, et *Gehon*. Neque duo ista flumina *Phison*, et *Gehon*, quaenam sint, constat. Sed quaecumque tandem esse fingamus, non oriuntur ex fonte uno cum Tigri, et Euphrate. Fictitia igitur est Paradisi descriptio. Hinc nonnulli, iique doctissimi viri, ejus situm invenire desperantes, asseruerunt, non fuisse locum aliquem corporeum, sed per allegoriam intelligendum, ut docuerunt *Philo* Judaeus et *Origenes*. *R. Barcepha* illum ponit trans oceanum. *Alii*

Rabini in caelo, vel inter nubes, aut in globo lunae, *Grotius* in Babylonia, *Malvenda* in India orientali, *Calvinus*, *Scaliger*, et *Huetius* in confluente Tigridis, et Euphratis, a qua sententia non multum recedit *P. Lamy* in Apparatu, *Calmet* in montibus Armeniae, ubi scaturigines sunt Tigridis, et Euphratis. Alii alibi ponunt, nec ulla sententia difficultate caret; cum tamen si vera esset *Moysis* descriptio, omnis dubitandi ratio facile solveretur; inspiciendo scilicet quatuor illorum fluminum originem, digito indicari posset Paradisi illius situs.

℟. *Transeat ant. neg. cons.* Dixi *transeat ant.* quia quamvis demus, nullum esse hodie in terra locum, ubi adamussim quatuor illorum fluminum originem veluti digito demonstrare possemus, non inde efficitur, fictitiam esse *Moysis* descriptionem, cum telluris facies non solum diluvio immutata fuerit, verum etiam post diluvium terrae motibus, aliisqe magnis naturae perturbationibus, quae ipsorum fluminum cursus averterunt. Sed non concedimus, nullum esse locum, in quo illorum fluminum originem, situmque Paradisi satis probabiliter definire possimus, ac proinde negamus, Paradisum fuisse *mysticum*, aut in globo Lunae. Nam si cum *Huetio* eum ponamus in confluente Tigridis, et Euphratis, qui secum conjunguntur, ac deinde sejunguntur iterum, antequam in sinum Persicum se exonerent, satis constant quatuor capita, sive quatuor brachia fluminum; quae ante conjunctionem *Phison*, et *Gehon*, postquam iterum sejuncta sunt, *Tigris* et *Euphrates* appellantur. Si vero cum *Calmeto* Paradisi situm statuamus in magna illa planitie, quae est in Armeniae montibus, adhuc probabilius Paradisi definiemus situm. Ait enim *Moyses*, fluvium irrigasse Paradisum, atque inde, sive extra paradisum, dividi in quatuor flumina. At haec regioni illi conveniunt, quippe ex aquis eam planitiem irrigantibus, et per montium radices penetrantibus oritur *Phasis*, qui sine dubio est *Phison*, et circuit Colchidem, auri apud veteres, gemmarumque abundantia celebrem. Deinde *Araxes*, qui dici potuit *Gehon* propter rapidum cursum, fluctusque resonantes, id enim nomen *Gehon* significat, circumitque terram *Chus*, et in mare Caspium influit: tertio *Trigris*, qui Assyriam alluit,

eamque dividit a Mesopotamia: denique *Euphrates* cujus cursum utpote notissimum non describit *Moyses*. Vide eundem *Calmet* in *Dissertationibus*, et in *Commentario*, et *Dictionario*, et Huetium *de situ Paradisi*.

Inst. 3.° Si vera haec essent, homines e Paradiso voluptatis depulsi, fuissent iterum post peccatum in eum reversi. Patet enim hodie in ea loca aditus. Atqui ait *Moyses*, posuisse Deum Cherubim, qui homines e Paradiso arceret. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Fuissent reversi postquam paradisus ipse omnino pessumdatus, ac destructus est diluvio, *conc.* Tunc enim non erat amplius Paradisus, sed locus tantum, ubi ille fuerat. Fuissent reversi cum adhuc esset Paradisus ille, a quo Deus homines prohibere voluit, ne de fructibus vitae comederent, *neg.*

Inst. 4. Lignum vitae in Paradiso, seu arbor, cujus fructus homines facerent immortales, videtur absurdum. Praeterea quid sit *Cherubim* cum flammeo gladio, atque versatili ad custodiam ligni vitae a Deo positus, invenire adhuc, et definire non potuerunt interpretes. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Si enim hodie ex terra maledicta tot plantae prodeunt, quae ad servandam, aut reparandam sanitatem mirifice valent; numquid contradictionem involvit, potuisse Deum ei arbori nativam tribuere virtutem, qua hominum vigor ita servaretur, ut a senectute, atque a morte essent immunes? praesertim cum ad vitam immortalem supernaturali gratia tandem transferendi essent. Sed quamvis non desint, qui virtutem ejus arboris naturalem fuisse affirmaverint, multi tamen volunt fuisse supernaturalem; quod omnino difficultatem destruit. Cherubim vero, et flammeum gladium, ne longiorem instituamus disputationem, commode intelligere possumus Angelos visibili specie igneis velut ensibus armatos, atque terribiles, qui homines e Paradiso prohiberent, donec speciem ille suam omnino amisit. Vide *Calmet*, atque *Estium* in *Comment.*

Inst. 5.° Saltem *lignum scientiae boni, et mali* contradictionem involvit. Quomodo enim fructus aliquis scientiam in mente hominis parere poterit? Ergo. Ita *Voltairius ibid.*

℟. Lignum scientiae boni, et mali dictum esse ab effectu, quia diabolus eam scientiam hominibus promiserat, si eo fructu vescerentur, quo gustato, homines magnis a Deo bonis ditati, magna mala experti sunt. *Per experimentum poenae didicerunt, quid interesset inter obedientiae bonum. et inobedientiae malum*, ut inquit Augustinus *Lib. VIII. de Gen. ad lit. cap.* 6.

Objic. VI. Ait Moyses *Gen. I.* 27. *Creavit Deus* (Elohim) *hominem ad imaginem suam : ad imaginem Dei creavit illum, masculum, et feminam creavit eos.* Addit vero *Gen. VI.* 2. *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex eis.* Atqui hic videmus, indicari plures Deos, nempe *Elohim*, eosque corporeos mares, et feminas, quippe homo corporeus ad eorum imaginem masculus et femina creatus est; Deosque ipsos uxores ex hominibus accepisse, quod etiam Gentiles somniarunt. Ergo. Ita ratiocinatur *Voltairius*, cujus ineptissimas nugas quia libenter audiunt increduli, ideo eas inviti proponimus; quamvis nos pigeat improbissimi istius, ac perditi nebulonis mendacia commemorare.

℟. *Neg. min.* Imago enim Dei non in corpore hominis est, sed in animo, ideoque ait, virum, et mulierem ad imaginem Dei factos esse, quia in utroque animus rationalis est. *Filii* autem *Dei*, sunt filii, ac nepotes *Seth*, qui ex sua sanctitate desciverunt, uxores sibi ex filiabus *Cain* accipientes. Vide Nonnottum in *Dictionario*, Calmet, aliosque passim interpretes.

Objic. VII. Formatio mulieris ex costa *Adae* dormientis, et locutio serpentis cum muliere, sicut et locutio asinae cum *Balaamo Num. XXII.* 28. fabulis poetarum affinia sunt, atque similia; ita ut Christiani nonnulli doctissimi, ut *Origenes*, et *Cajetanus*, ad metaphoram ista detorserint. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Merito enim *Origenis*, et *Cajetani*, doctissimorum quidem hominum, sed tamen hominum, ab omnibus est explosa sententia; cum nihil ea, quae in objectione posita sunt, absurdi habeant, si ad literam intelligantur, quamvis sub literae cortice spiritualem etiam sententiam claudant. *Hevam* quidem ex latere *Adae* dormientis formavit Deus ad significandam

Ecclesiam ex latere dormientis, seu mortui Christi extituram. Serpentem autem locutum esse, ait Scriptura, non naturali virtute, sed a Diabolo motum, qui eo tamquam instrumento usus est; unde dicitur *Joan. VIII. 44. Ille homicida erat ab initio.* Asinam vero Balaam a Deo ipso, vel ab Angelo: *Protinus*, inquit, *aperuit Dominus os asinae, et locuta est.* Fabulae potius poetarum, qui libris Mosaicis longe posteriores sunt, a veritate foede ad ipsis deformata oriri potuerunt.

Inst. Si ex costa *Adae Heva* formata est, vel *Adam* prius costam habuerat supervacuam, quod sapientiae divinae repugnat, vel postea monstrosus extitit, ac mutilus, quod absurdum est. Inutilis vero, Deoque indigna operatio illa videtur, cum ex costa una integra mulier formari non potuerit. rgo.

℟. Nec *Adam* costa habuisse supervacuam, nec post *Hevae* formationem fuisse monstrosum, cum Scriptura aperte dicat, Deum supplevisse carnem pro ablata costa, hoc est costam aliam carne indutam supplevisse, quod ipsi aeque fuit facile, ac corpus integrum ex limo terrae concinnare, et ex costa illa una, adjecta etiam nova materia, integrum formare mulieris corpus.

Inst. 2.° Non habet serpens, sicut nec asinus organa humanae voci modulandae apta. Repugnat igitur naturae rerum eorum locutio.

℟. *Dist. cons.* Repugnat naturae rerum locutio ex naturali eorum animalium virtute, *conc*. Ex motione spiritualis substantiae, quae illis tamquam instrumentis usa est, *neg*. Si enim homines machinas quasdam ita affabre formare potuerunt, ut humanam vocem, ac verba proferrent, multo magis Angelus in ore serpentis, atque asinae ita aerem ciere, ac modulari potuit, ut pauca verba loquerentur.

Objic. VIII. Tota historia judicii, quod Deus post peccatum instituit *Gen. III.* fabulosa videtur. 1.° Deus *deambulabat ad auram post meridiem* quaerebatq. *Adam*, clamans: *Adam ubi es?* quod immensitati, scientiae, ac spirituali Dei naturae repugnat. 2.° Deus serpentem damnat, qui utpote a Diabolo motus, nihil peccaverat. 3.° Poena, qua eum damnasse dicitur, inscitiam sacri scriptoris arguit, et naturalis historiae

Digitized by Google

ignorationem. Quid enim ait? *Super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitae tuae*; at haec est natura serpentis, ut physici norunt; cum ita omnes ejus partes, articuli, fibrae a natura formatae sunt, ut rependo progrediatur; eoque utatur cibo, ad quem naturali fertur instinctu. Ergo.

℞. *Neg. ant. Ad* 1m. Missa Patrum interpretatione, qui volunt, Dei filium, aut Angelum visibili specie indutum ad Adam accessisse, et cum eo collocutum, quae sententia ab adversariis non potest evidenter falsa demonstrari; nemo ignorat, scriptores sacros uti metaphoris, tum ut captui hominum se accommodent, tum ex ipso linguae originalis ingenio. Ita tribuunt Deo membra corporea, humanosque affectus iram, tristitiam, poenitentiam, ad explicandas ejus proprietates, atque opera, quae omnia per metaphoram intelligenda, atque explananda esse tum ex aliis Scripturae locis, tum ex naturali ratione perspicuum est. Deambulare ergo Deus dicitur in paradiso, ad ejus praesentiam, atque operationem explicandam, quae tunc Adamo coepit esse sensibilis, vel per vehementiorem ventum, vel per tonitru, vel per vocem. Quod autem ait Moyses: *ad auram post meridiem*, non significat, Deum aurae refrigerium deambulando captasse, sed notat tempus, cum scilicet post meridiem in Oriente zephyri oriuntur, sicut etiam legitur *Cant. II.* 17 *et IV.* 6 *Donec aspiret dies et inclinentur umbrae*; atque ita septuaginta interpretes, *Theodotion*, et Chaldaica paraphrasis eum *Genesis* locum transtulerunt. Quod autem dicit: *Adam ubi es?* non hoc ignorantiae, sed exprobrationis est, ut multi sapienter exponunt (*a*). Sed quamvis meram interrogationem ea verba continere velis, non inde ignorantiam poteris arguere, sed sapientiam, clementiam, justitiam, cum saepe reum interrogemus, non ut rem cognoscamus ipsi, sed ut eum agnoscere, ac fateri crimen compellamus.

(a) Philo *Lib. II. Allegor. Legis.* Origenes *Lib. De recta fid.* Tertullianus *Lib. II. cont. Marcion. Cap.* 25. Basilius *in Psal. CXIX.* Augustinus *Lib. XI, De Gen. ad. lit. Cap.* 34.

Ad. 2m. Missa eorum Patrum (a) opinione, qui Dei maledictionem non ad verum serpentem, sed ad Diabolum referunt, ne resecuisse potius nodum, quam dissolvisse videamur; respondemus, nihil esse absurdi, quod cum Deus animalia cuncta ad hominum condiderit utilitatem; ad majorem ostendendum, atque inspirandum hominibus peccati horrorem, ipsi, quo diabolus usus erat, instrumento maledixit, cum eandem ob causam etiam in lege animalia occidi jusserit, quae hominem laesissent.

Ad 3m. Si omnia considerentur divinae maledictionis verba, quantum illa gravis extiterit, et praeter serpentis naturam, facile quivis intelliget. Ait enim: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, et bestias terrae; super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitae tuae. Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum, et semen illius, et ipsa* (sive ipsum ut habet Hebraeus textus) *conteret caput tuum.* Quibus verbis non serpentis naturam immutavit, sed perpetuum hominibus indidit odium contra serpentem; ita ut si ante peccatum natura ejus erat, non poena, rependo progredi, neque propterea hominibus erat invisus; post peccatum, Deique maledictionem id ei poena sit, cum omnes eum ubicumque videant, naturali quodam odio incitati occidere nitantur, caputque ejus conterere, neque alia illi ad se tuendum pateat via nisi calcaneo ejus insidiari. Ceterum non est adeo exploratum, serpentem illum non fuisse alterius generis, qui erecto saltem capite, ac pectore incederet; cum tot diversae serpentium species, etiam alatae inveniantur. Quod autem ait: *terram comedes*, non est ad litteram intelligendum; sed significat serpentem humi repere, aeque escas foedas, et pulvere aspersas manducare, quo sensu etiam Propheta ait in Psalmo: *Cinerem tamquam panem manducabam.*

Accedit quod quamvis ad serpentem ea maledictio referatur, in sensu tamen spirituali ipsum respiciat peccati auctorem diabolum, qui erat a Christo conterendus; quique terram manducat, hoc est rabie ac desperatione uritur; delectaturque flagitiis, ac sceleribus, quae carnales homines ejus impulsu patrare solent.

(a) Augustinus *Lib. XI. De Gen. ad lit. Cap. 36.* Gregorius M. Beda etc.

Inst. Deus Adae mortem minatus erat, si de vetito fructu vesceretur *Gen. II.* 17. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*: et tamen ille nongentis triginta annis post praecepti violationem vixisse dicitur *Gen. V.* 5. Non igitur verae fuerunt Dei minae.

℟. *Neg. cons.* 1.° Quia simul ac fructum contra Domini praeceptum gustavit, moriendi necessitatem incurrit, unde *Symmachus* verba illa *Gen. II.* 17 vertit: *mortalis eris.* 2.° Quia mortem animae (hanc enim etiam comminatio divina spectabat) in ipsa praecepti violatione incurrit.

Objic. IX. Auctor Pentateuchi videtur mirabilibus et portentosis narrationibus delectatus, cum hominum vitam ante diluvium ad octingentos, nongentosque, et amplius annos produxerit, quam deinde paulatim post diluvium minuit, donec redigat ad communem hominum sui temporis aetatem, ne nimis aperte res incredibilis videretur. Ea autem tam longa actas adeo visa est sapientibus impossibilis, ut commenti sint, Mosaicos annos ante diluvium fuisse lunares, ita ut mensis unus pro anno haberetur; quae quidem sententia, quia in contrarium incurrebat vitium, nimis brevem illorum hominum vitam efficiens, aliis displicuit, eaque de causa, ut nonnulli putant, Septuaginta interpretes alios etiam addiderunt annos vitae hominum; unde chronologia LXX. ab Hebraica differt. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Nam ut recte observat *Duguetus*, si Moyses mentiri voluisset, non adeo longaevam priorum hominum posuisset vitam, tum quia ex ipsa abnormi diuturnitate minus verisimilis, imo et incredibilis visa omnibus narratio esset; tum quia, posita tam longa hominum illorum vita, jam traditio a morte *Adami* ad *Moysen* fuisset recentissima, ideoque ab omnibus mendacium facillime animadverti, ac redargui potuisset. Neque vero ad lunares annos confugiendum est, cum aperte Moyses non modo annorum, sed et mensium anni, et dierum in ipsis mensibus mentionem faciat. Ait enim *Genes. VII.* 11. *Anno sexcentesimo vitae Noe, mense secundo septimodecimo die mensis rupti sunt fontes abyssi magnae etc.* Deinde *Genes. VIII.* 4. *Requievitque arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis... At vero aquae decrescebant usque ad decimum mensem*;

Digitized by Google

decimo enim mense, prima die mensis apparuerunt cacumina montium. Ecce jam unius anni menses decem, quibus exactis, transierunt etiam alii dies, ut videtur, sexaginta, dum *Noe* corvum, variisque vicibus columbam emisit, ac deinde novus incepit annus *Genes. VIII.* 13. *Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminutae sunt aquae.* Quid luculentius? Cur ergo adversarii tam longam primorum hominum vitam non credant, nulla ratio est; cum praesertim eam profani etiam scriptores confirment. *Hestiaeus, Hecataeus, Hellanicus, Hieronymus, Ægyptius, Hesiodus, Acusilaus, Ephorus, Nicolaus Damascenus,* aliique apud Josephum *Lib. I. Antiq. cap.* 4. quem recitat etiam Eusebius *Lib. IX. Praepar. Evang. cap.* 13. Causas autem tam diuturnae vitae naturales, et quidem satis idoneas, tradidere veteres; nos tamen quamvis eas nesciremus, non propterea negare possumus historiam, cum multa cernamus oculis, quorum causas ignoramus; quod ad obstruenda adversariorum ora sufficit; non enim medicos agimus, aut physicos, sed Theologos.

Objic. X. Gen. IV. 4. dicitur *Abel*, imo et *Cain* obtulisse Deo sacrificia; et contra in eodem *Cap. v.* 26. de *Enos* dicitur: *Iste coepit invocare nomen Domini*, quasi tunc primum religionis officia exerceri coeperint. Ergo.

℟. *Neg. ant. quoad 2m. part.* Non enim verba illa significant, primum omnium *Enos* nomen Domini invocasse, sed tum primum publicos hominum coetus ad obeunda religionis officia convenisse. Nonnulli veteres Hebraei apud *Hieronymum Quaest. Hebr. in Gen.* aliter illa verba intelligebant, scilicet: *tunc coeptum est profanari nomen Domini*, illud scilicet falsis numinibus tribuendo, quem sensum etiam exhibet Chaldaica paraphrasis. Alii aliter explicant ex Hebraico textu, sed quidvis potius dici potest, quam auctorem in eodem capite illa tam repugnantia posuisse, quae in argumento objecta sunt.

Objic. XI. Cum profano Auctore Systematis *Praeadamitarum* (a). Fuisse alios ante Adamum homines ex ipsa *Genesi* videtur manifestum, quamvis in Scripturis

(a) *Isaac Pereyra.*

Digitized by Google

dicatur, Adamum fuisse omnium hominum primum, in quo contradictio est. Nam 1.° *Gen. IV.* 6. sic Deus *Cainum* alloquitur: *Quare iratus es? et cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* Peccatum autem adesse in foribus, nihil aliud est, nisi deferri ad judices, qui in foribus urbium judicia exercebant. 2.° Ipse *Cain* Deo respondet: *Ecce ejicis me hodie a facie tua, et ero vagus, et profugus in terra. Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*, timebat igitur homines alios, legesque capitales, ideoque fugit *ad orientalem plagam Eden*, ibique, ut ait *Josephus*, rapinis vivebat: *accitis undequaque latrociniorum, et nequitiae sociis*; quod et alios ibi fuisse homines ostendit. Imo Deus ipse posuit *Cain* signum, *ut non interficeret eum omnis, qui invenisset eum.* 3.° Cain uxorem duxit, genuitque *Enoch*: *et aedificavit civitatem, vocavitque eum nomine filii sui Enoch*, quod tamen sine dubio ad distinguendam urbem illam ab aliis impositum est. Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad 1m.* Adesse peccatum in januis metaphora est, qua significatur, peccatum semper futurum homini praesens, ejusque poenam imminentem, quae phrasis non est in Scripturis insueta. *Ad 2m. Cain* sceleris horrore perterrefactus vindices timuit fratres, nepotesque suos ex eadem Adami familia, ne sicut ipse fratrem occiderat, ita illi ipsum e medio tollerent, quae quidem familia centesimo trigesimo anno, quo *Abelis* caedes facta est, satis crescere debuit, cum *Jacobi* familia intra ducentos et quindecim annos in Ægypto usque ad sexcenta millia virorum fortium, et tractandis armis idoneorum excreverit, licet Moyses non omnes nominet Adami liberos, sed generatim dicat: *genuit filios, et filias*: eademque de causa posuit Deus *Cain* signum, quod quale fuerit, disputant interpretes. Et ex eadem familia Cain socios latrociniorum asciscere sibi potuit, si vera narrat *Josephus* (cui tamen in omnibus credere non debemus), et uxorem ex qua genuit *Enoch*, qui fortasse non primus *Caini* filiorum fuit, ita ut ex suis filiis, nepotibusque civitatem *Enoch* aedificare, sive ex rudibus tectis, tuguriisque componere potuerit: utque eam ab aliis distingueret, quae ab aliis Adami ne-

potibus conditae erant, appellare *Enoch*; quamvis nomina tunc non ad distinctionem, sed ad aliquas rerum qualitates, aut circumstantias explicandas imponerentur.

Inst. Si Adam primus omnium hominum extitisset, ejus utique memoria apud omnes gentes fuisset perpetua traditione servata. Atqui nullum ejus est apud vetustissimos populos vestigium. Ergo. Ita Voltairius *in Quaestionibus Encyclopediae, et al.*

℞. *Dist. maj.* Fuisset ejus servata memoria multis deformata, atque immutata fabulis, *transeat.* Omnino pura, atque sincera, *neg.* Cum itaque multae hodie in Europa familiae, eaeque nobilissimae, inter tot praesidia, ac monumenta litterarum, et historiae, origines suas ignorent; nihil esset mirum, si in dispersione gentium, nondum inventis, aut non sat excultis litteris, nonnullae nationes suam ab Adamo originem post tot saecula, inter ignorantiae tenebras fuerint omnino oblitae. Idcirco quamvis nulla omnino apud ceteras gentes *Adami* memoria superfuisset: non inde fieret, ut falsa sit sacra historia, quae ejus et originem, et nomen tradit. Sed tamen falsum est, nullam omnino apud alias nationes *Adami* memoriam superfuisse, multis tamen variatam fabulis, tum propter libidinem plurium populorum origines suas factis mirabilibus nobilitandi, tum propter ipsa primorum hominum nomina, quae significabant aliquam ipsorum proprietatem, ideoque in aliis linguis mutata sunt. Apud Indos, ipso fatente *Voltairio* in *Philosophia Historiae*, et in *Dictionario*, primus homo dicebatur fuisse *Adamus*, quod nomen *Genitorem* significat, ejusque uxor *Procritis*, quod significat *Vitam*, quae nomina magnam cum *Adamo*, et *Heva* affinitatem habent. Item apud Phoenicios primus homo a *Sanchuniatone* (si verus est auctor), cujus fragmenta in Graecam linguam translata habemus a *Philone Biblio*, dicitur Graece *Protogonos*, atque ab eo usque ad diluvium generationes numerantur decem, quod *Genesi* consentaneum est, licet nomina in Graecum translata, ideoque mutata sint. Similia apud alias nationes licet veritatis observare vestigia. Vide Natalem Alex. in *Historia I. Mund. aetat. art.* 3. ubi multa ex Ethnicis Scriptoribus Mosaicae narrationi affinia erudite collegit.

Objic. XII. Mathusala *Gen. V.* 27. vixit annis nongentis sexagintanovem. Eo autem posito numero, sequitur, eum vixisse usque ad viginti post diluvium annos, quod universae Scripturae adversatur; quae docet, omnes homines diluvio periisse. Nam juxta septuaginta interpretum editionem, cujus Chronologiam Auctor Libri, cui titulus est *Antiquitas restituta* (*a*), fuse defendit, *Mathusala* cum esset annorum 167. genuit *Lamech*, ac deinde vixit annis 802. *Lamech* vero cum annum ageret 182. genuit Noe, cujus anno 600. diluvium contigit. Si ergo jungas annos 167., et 182, et 600. habebis summam annorum 949; ideoque desunt ab aetate Mathusalae anni 20. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Omnis enim evanescit difficultas ex chronologia textus Hebraici, quam sequitur Vulgata nostra. Juxta eam *Mathusala* cum esset annorum 187 genuit *Lamech*, ac deinde vixit annis 782. *Lamech* vero annos natus 182. genuit *Noe*, cujus anno 600 diluvium contigit. Si ergo jungas annos 600., et 182, et 187 habebis adamussim summam annorum 969., quae fuit aetas Mathusalae; ita ut ejus mors ipso diluvii anno acciderit. Textus autem Hebraicus semper praeferendus est in ambiguis, praesertim cum ex versione sequitur absurdum, ut in re praesenti. Auctorem autem *Antiquitatis restitutae* Natalis Alexander solide refellit *Dissert. in I. Mundi aetat.*

Objic. XIII. Historia diluvii *Gen. VI. et seq.* multis scatet fabulis. 1.° Gigantum ortus, atque potentia, quae origo narrationis est, ex poetarum commentis proficiscitur, qui Gigantes Jovi bellum indixisse finxerunt. 2.° Arcam omnia animalium genera, et quidem partim bina, partim septena continuisse, cum escis etiam, quae alendae per annum tantae animalium familiae, inter quae multa sunt voracissima, atque carnivora, necessaria essent, prorsus est incredibile. 3.° Aquas diluvii universam terrae faciem cooperuisse, montiumque cacumina quindecim cubitis superasse, quis sibi persuadeat? cum nec tanta sit in rerum natura aquae vis, nec si esset, vivere homines, et animalia in tanta altitudine potuissent.

(a) *L' antiquité rétablie.*

4.° Cuncta animalium genera in Arca servata esse, ex quibus deinde illa iterum universam terram occuparint, absurdum est, cum nonnulla animalium genera ejus sint naturae, ut in eo caelo, in quo *Noë* erat, nec vivere, nec inveniri potuerint; imo manifeste multa inventa sint in Americae regionibus, atque insulis, quorum genera in nostris regionibus non sunt, quae utique non potuerunt hinc illuc, oceano interjecto, commigrare. Ergo.

℞. *Neg. ant. quoad omnes partes. Ad* 1*m.* Rejecta *Philonis*, atque *Origenis* opinione, qui putarunt, Gigantes, de quibus *Moyses* loquitur, fuisse homines non statura proceros, sed audacia, atque criminibus famosos; extitisse gigantes ante diluvium, cur non credamus, cum et longe post diluvium, debilitatis etiam hominum viribus, et valetudine, breviataque vita, gigantes extiterint, inter quos *Og* rex Basan, cujus altitudo quindecim pedum erat? de cujus rei veritate dubitare, insanum est, cum ejus lectum ferreum novem cubitis longum, quatuor latum, monstrari scribat Moyses *Deuteron. Cap. III.* Imo nec desunt etiam profanorum testimonia Scriptorum, qui de gigantibus fecere mentionem, et ossa etiam magnitudinis ferme incredibilis olim variis in locis effossa, qua de re vide eruditam *Calmeti* Dissertationem *De Gigantibus*, Natalem Alex. *Dissert. VII. in Hist. Eccl. I. Mund. aet.* et Danielem Huetium *in Alnetanis Lib. II. Cap.* 12. §. 3. *De corporum magnitudine*, inquit, Augustinus *Lib. XV. De Civ. cap.* 9. *plerumque incredulos nudata per vetustatem, sive per vim fluminum, variosque casus sepulchra convincunt, ubi apparuerunt, vel unde ceciderunt incredibilis magnitudinis ossa mortuorum. Vidi ego non solus, sed aliquot mecum in Uticensi littore molarem hominis dentem tam ingentem, ut si in nostrorum modulos dentium minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse.* Cujus quidem rei plurima tum apud veteres, tum apud recentiores monumenta sunt. Refert enim Phlegon *Lib. de reb. mirab. Cap.* 12. in eluvione quadam apud Messeniam in Peloponneso detectum esse sepulchrum, in quo hominis calvaria triplo major communi hominum capite inventa est. Item *Cap.*

Digitized by Google

15. in Ægypto reperta ossa cadaverum incredibilis pene magnitudinis, et Carthagine sepulchra duo, aliud cubitorum vigintitrium, aliud vigintiquatuor in longitudinem. In Sicilia saepe hujusmodi sepulchra inventa esse, plures tradunt auctores. Praecipue Thomas Fazellus *De rebus Siculis Decad.I. Lib.I. cap.6.* et *Lib.III. Cap.4.* et *Decad.II. Lib.I. Cap I.* Anno MDXVI. in agro Mazarae immane corpus inventum est, cujus calvaria modium aequabat, ex quo excussum dentem quinque unciarum ipse Fazellus servabat. Similia variis in regionibus inventa ossa, quae putidum est asserere cum *Kirkero* esse terrae ipsius concretiones. Quapropter extitisse olim Gigantes, luce clarius est, licet iis suas Poetae fabulas addiderint.quibus nihil habet simile Scriptura divina. Quod autem Gigantes illi ante diluvium ex Daemonibus, vel Angelis orti sint; paucorum est error auctorum, quem sacrae litterae numquam confirmant.

Ad 2*m*. Ostendunt quidem D. Pelleterius Rothomagensis in *Libro de Arca Noe*, Joannes Buteo Anglus, Calmetus in *Dictionario*, et in *Commentariis*, Natalis Alexander *Dissert. X. in I. Mundi aet.* Wilkinsius in *Synopsi Criticorum Matthaei Poli*, aliique viri docti, geometrice supputatis arcae dimensionibus, quas designat *Moyses*, longe majorem reperiri capacitatem, quam quae ad omnium animalium primigentas species continendas, et ad escas ipsis etiam carnivoris bestiis necessarias requirebatur. Quae quidem capacitas in immensum crescit, si cubitos, quorum *Moyses* in Arcae dimensione mentionem facit, intelligas non vulgares cubitos, sed geometricos, aut sacros, qui communibus multo majores erant. Sed nobis non videtur necesse, in his rationibus subducendis tempus terere. Si enim impostor aliquis *Pentateuchi* auctor fabulam concinnare voluisset, cum posset utique majorem fingere Arcae molem, si fuisset necessaria, profecto cum talem descripserit, qualis in *Genesi* legitur, manifestum est, eam fuisse aptam iis continendis, quae in Arca servari oportebat.

Ad 3m. Missis variis Philosophorum sententiis, *Burneti*, *Wisthoni*, *Woodwardi* ad hanc terribilem naturae perturbationem explicandam, quas sententias nihil moramur, ait *Moyses*, non solum e coelo decidisse aquas,

Google

verum etiam e terrae visceribus prorupisse. *Rupti sunt*, inquit, *fontes abyssi magnae*, *et cataractae caeli apertae sunt*, quibus verbis non stillicidium, sed veluti flumina aquarum e caelo ruisse ostendit. Quis autem mensus est aquas, quae tam insolito, atque effusissimo imbre decidere possint quadraginta diebus, et quadraginta noctibus? Quis adeo est insanus, ac stolidus, qui se scire jactet, quanta aquarum copia in terrae visceribus contineatur, cujus semidiameter fere 4000. milliariorum est, cum montium etiam praecelsorum altitudo vix ac ne vix quidem ad tria milliaria accedat? Certe quamvis *Moyses* diluvii nullam faceret mentionem, tamen aliquod tale olim accidisse non solum diluvii memoria apud omnes etiam barbaras nationes constanti traditione servata (*a*) verum etiam ipsa telluris facies ostenderet, cum praesertim procul a pelago summis etiam in montibus marinae conchae, et pisces in lapides concreti ubique terrarum inveniantur, quod et a veteribus, et a recentioribus observatum est, nec aliunde, nisi a diluvio fieri potuit. In tanta autem altitudine ideo homines vivere diu non possunt, quia aër ibi subtilior est. Sed cum aquae diluvii et Arcam; et totam aëris molem elevaverint; aër idem ibi tunc erat, qui nunc in imis vallibus, imo multo crassior propter immensam vaporum vim, qui aërem imbuebant.

Ad 4m. Ut *Noe* animalium omnium primigenias species caperet, divina ope factum est, cum Deus eas servare decreverit, praesertim concesso centum viginti annorum spatio. Ut autem animalia illa in Americam, remotasque insulas migrarent; vel olim America telluri nostrae adhaerebat, praesertim versus septentrionalem plagam; unde postea terrae motibus, aliisque naturae perturbationibus divulsa est, vel etiam nunc adhaeret, ut multi opinantur. Fieri etiam potuit, ut homines praesertim Phoenices, aut Afri eo tempestatibus jactati appulerint, sicut Lusitani in Brasiliam; neque inde potuerint regredi, flantibus perpetuo ventis ex oriente in occidentem, qui sunt redeuntibus ex America in Africam adversissimi; vel certe, ubertate regionum allecti noluerint. Certe *Plato* meminit ingentis insulae in mari occiduo trans fretum Gaditanum, quam ad Ame-

(a) V. Nat. Alexandrum *loc. cit* Du-Clot etc.

ricam pertinuisse perspicuum est, et nonnulla in Americae populis inventa sunt moribus nostris similia, quae eos hinc illuc ex antiqua traditione detulisse, verisimile est. Hac autem ratione et homines, et animalia eo duci potuerunt, licet nonnullae animalium species in nostra tellure propter caelum, aut solum, sive propter clima ipsis inimicum perierint, quae in America repertae sunt. Ceterum quamvis id explicare qua ratione acciderit, non possemus; negare tamen quod certum est, quia nescias explicare, quo pacto evenerit, quod multis rationibus fieri potuit, magnae profecto stultitiae est. Vide haec apud eumdem Natalem Alex. *cit. Dissert. X. art.* 4. pertractata fusius, et accuratius.

Inst. Ait *Moyses*, *Noemum* dimisisse ex Arca columbam, quae ad eum reversa est, ramusculum oleae virentibus foliis rostro ferens. Sed hoc absurdum est, tum quia nullae sunt, ut testatur *Tournefortius* (*a*) oleae in Armeniae montibus, in quibus ait Moyses consedisse Arcam, imminutis aquis, tum quia quamvis ibi essent, non poterant virentibus foliis inveniri, postquam toto anno aquis obruta marcescere omnia debuerunt. Ergo.

℟. *Neg. min.* Magnam enim hac in re adversarii produnt vel ignorantiam, vel improbitatem. Quamvis enim demus, nullas hodie esse in Armeniae montibus oleas, qua de re cum *Tournefortio* contendere nolumus, cum liberum sit viatoribus privilegium quas ipsis placet venditare fabulas, vel non satis compertas historias; non hinc efficitur, nullas etiam olim extitisse: et quamvis demus etiam hoc alterum, non sequitur, non extitisse etiam oleas in finitimis regionibus, ad quas columba pernicissimo, quo valet, volatu, ferri potuit; cum in Armeniae finitima Cappadocia frequentissimas esse oleas, non viator aliquis, sed ipse e Cappadocia oriundus, isque gravissimus auctor sit *Strabo* (*b*). Quod vero addunt, virescere oleas post diluvium non potuisse, ridiculum est, cum et earum folia satis dura, nec ab arbore recisa, diu sub aquis integra maneant, et ipsae

(a) Tournefor *Voyage du Levant Tom. III.*
(b) V. Bullet *Reponses Critiques Tom. I.*

arbores, quae colles praesertim amant, fuerint sine dubio primae quae ex aquis caput extulerint.

Objic. XIV. *Genes.* VI. 3. ait Dominus *Noë*. *Erunt dies vitae illius* (scilicet hominis) *centum viginti annorum*. Sed quocumque modo ea verba intelligantur, non constat eorum veritas. Si enim cum Lactantio *Lib. II. Div. inst. Cap.* 15. Philone *Lib. de Gigant.* aliisque ita explices, ut vita hominis redacta dicatur ad annos centum viginti, videtur hoc esse falsum, cum et post diluvium multi vitam duxerint longe diuturniorem ad annos usque trecentos, imo, et quingentos, et sequentibus saeculis nemo fere ad aetatem centum viginti annorum perveniat. Si vero cum Augustino *Lib.* XV. *De Civ. Cap.* 24. Hieronymo *in Quaest. Hebraic.* aliisque verba *Genesis* significare dicas tempus, quo Deus diluvium minabatur, nempe post annos centum viginti, neque sic constat Scripturae veritas. Haec enim a Domino dicta Noe sunt, cum quingentorum esset annorum: anno autem sexcentesimo vitae ejus diluvium factum est, ideoque non centum viginti, sed centum dumtaxat anni sunt. Ergo.

℟. *Neg. min.* Si enim priorem sequaris interpretationem, responderi potest, vitam hominis ad annos centum viginti ex Dei decreto fuisse redigendam, non quidem illico, sed paulatim decrescendo, sicut revera ad eum modum redacta est tempore Moysis, licet postea, novis hominum succrescentibus peccatis, mutata etiam vivendi ratione, magis breviata sit. Si vero alteram amplectaris explicationem, quae et communior, et verisimilior est, vel dicere possumus cum *Augustino* Noë annos habuisse, cum haec ei dicta sunt, quadringentos octoginta, sed Scripturam numerum posuisse rotundum, quingentorum scilicet annorum, vel cum *Hieronymo*, Deum ipsos annos centum viginti, quos ad poenitentiam hominibus concesserat, propter majora peccata breviasse.

Objic. XV. Post diluvium scribit *Moyses*, dixisse Deum *Gen. IX.* 13. *Arcum meum ponam in nubibus, ut sit signum foederis inter me, et inter terram*. Atqui hac in re physica ignarum se prodit auctor. Notum enim est, arcum illum non tunc primum apparere

incepisse, sed semper, ac necessario, ex radiorum solarium refractione, ac reflexione ortum esse. Ergo.

℟. *Neg. min.* Non enim ait *Moyses*, tunc primum rutilare iridem in nubibus incepisse, sed tunc positam fuisse divinitus in signum foederis, cum praesertim originalis textus habeat: *Arcum meum posui in nubibus.* Cui et Syriaca, et Arabica versio consentit. Ceterum cum promiserit ibi Deus, se numquam amplius deleturum esse diluvio universam terram, recte etiam legitur ad modum futuri temporis; *Arcum meum ponam*, idest numquam erit amplius tanta nubium densitas, et procellae impetus, quin fulgentes identidem solares radii arcum in nubibus efficiant, qui mox futuram serenitatem portendat.

Objic. XVI. *Gen. IX.* 25. Cum *Noe* nudatus obdormisset, atque irrisus esset a *Cham* filio suo, maledixit *Chanaan* filio *Cham*: *Maledictus*, inquit, *Chanaan*; *servus servorum erit fratribus suis.* Atqui hoc videtur absurdum, ut uno peccante, alteri maledicatur. Ergo.

℟. *Neg. min.* Cum enim, ut advertit *Theodoretus*, *Cham* post diluvium cum omni familia *Noe* a Deo fuisset benedictus, non putavit Noe congruum, ut ei malediceret; sed maledixit filio ejus *Chanaan*; quae gravior *Chami* ipsius poena fuit, cum in *Chanaan* maledictam videret posteritatem suam, quod parentibus gravius solet accidere, quam si ipsi aliquid gravius paterentur. Ceterum valde probabilis est sententia eorum, qui volunt, ipsum *Chanaan* fuisse primum criminis auctorem, atque avi sui irrisorem, quippe qui primus *Noachum* somno sepultum, atque nudatum viderit, Patrique suo *Chamo* demonstraverit. Illa autem *Noachi* maledictio, ex multorum sententia auctorum, praedictio potius, quam imprecatio fuit.

Objic. XVII. Populi nonnulli sunt, quorum origo longe diluvio, imo, et ipso mundi exordio, quod a *Moyse* traditur, antiquior est. Sic *Manetho* in Ægyptiorum historia varias ejus populi Dynastias recenset, quae annos efficiunt 53535. Chaldaeos astrorum observationes ab annis 480000. in Commentariis habuisse, auctor est *Berosus*. Similia narrat Sinensium historia. Ergo.

R. *Neg. ant.* Mendacia enim illa sunt ab auctoribus in gentis suae adulationem concinnata, quae qui Mosaicae historiae, longe auctoribus illis antiquiori, praeferre volet, is adversus prima artis criticae, et rationis naturalis principia peccabit; cum praesertim manifestas illi venditaverint fabellas, quas adversarii libenter arripiunt, atque deglutiunt, modo tantum sacris libris contrariae sint. Quod attinet ad *Manethonem*, quas ille recenset *Dynastias*, non unius, et ejusdem regni eas fuisse observant eruditi, sed plurium regulorum, qui eodem tempore variis Ægypti regionibus nomine regum imperitarunt. Vide Marshamum in *Chron. Ægypti*, Petavium *De doctr. temp Lib. IX. Cap. 15. et Lib. V. Cap. 17*; *Historiam universalem* Anglorum, Bossuetum in *Historia universali etc.* *Berosum* vero recentissimum Scriptorem aperte mentitum esse, exinde evincitur, quod *Callisthenes*, qui rogante *Aristotile*, astronomicas Babyloniorum observationes diligenter inspexit, eas non superare annos 1093. testatus est, ideoque longe post diluvium incepisse. Vide eundem Bossuetum in *Historia universali*. Denique Sinensium annales incertissimos esse, et anilibus scatere fabulis *P. Du Halde* in Historia, et *D. Fouquet* in Chronologia Sinensium erudite demonstrant, uterque diu apud Sinenses commorati. *P. Cupletus* in *Prooem. in Librum Confucii*, et *Vallemontius* ex ipsis Sinensium monumentis ostendunt, eorum historiam incipere annis post diluvium ducentis et amplius. *Huetius* vero in *Demonstr. Evang. Prop. IV.* docet, totam Sinensium, et Japonensium religionem ex Mosaicis Libris foede depravatis fluxisse. Ipse Du Halde *Tom. I.* ex Sinensium memoriis probat, Imperatorem *Chi-Houngeti* ducentis ante aeram vulgarem annis libros omnes historicos summa severitate comburi jussisse, nec ullum relictum veteris eorum historiae monumentum. Astronomiae, aliarumque scientiarum ignari erant, cum eo venerunt Jesuitae. Vide *Hist. univers. Tom. XIII.* Ceterum tot argumentis nobis opus non est. Cum enim ostenderimus, Mosaicos libros esse divinitus inspiratos, quaecumque historia est illis contraria falsa est. Quae autem in ipso Pentatencho Chronologiae difficultas oritur ex versione Septuaginta, quae ab Hebraica differt,

Digitized by Google

facile explanatur, cum originalis potius linguae, quam versioni adhaerendum sit, ubi utraque variat, ut monet Augustinus *Lib. XV. De Civ. Cap.* 13. (*a*).

Inst. Ipsa telluris exterior facies, atque interior constitutio, longe antiquiorem ejus esse originem ostendit, quam quae a Moyse tradita est. Nam montium, ac vallium informis dispositio, praeruptae rupes, atque in ipsis montibus ea corporum genera, quae a montibus ignivomis explodi solent; praeterea in terrae visceribus varia diversi generis strata sibi mutuo parallela, et quidem saepe leviora sub gravioribus; marinae conchae, ac pisces plantaeque marinae in lapides concretae, quae non solum in montibus, verum etiam in terrae visceribus inveniuntur, manifeste demonstrant, multa saeculorum millia decurrere debuisse, ut tellus hanc, quam videmus, formam acciperet. Nihil autem est verisimilius, quam mare olim occupasse locum, qui nunc terra est habitabilis, terramque aridam olim fuisse ubi nunc est maris fundus, quam hypothesim doctissimus *Buffonius* erudite, et copiose confirmat. Ita paulatim multis saeculorum millibus naturae facies immutari potuit; unde ait Poeta:

Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas.

Nutat ergo vel ex ipsa naturali historia narrationis Mo-

(a) Risu digna est opinio auctoris *Analysis religionis Christianae* (*Du Marsais Analyse de la religion Chretienne*) qui ait, ideo Septuaginta interpretes chronologiam Hebraici textus mutasse, quia cum versio illa legenda esset a Graecis, quorum chronologia antiquior erat Mosaica, timuerunt, ne falsitas Mosaicae narrationis statim a Graecis ipsis cognosceretur. Quo mendacio, quid absurdius? Graeci ipsi historiam suam utcumque fabulosam non habebant *Inacho* antiquiorem, quem aetate Moysis regnasse volunt. Antiquiores vero fabulae, quas comminiscebatur, Mosaicae narrationis, vel traditionis foede deformatae vestigia sunt. Fortasse haec annorum varietas vitio librariorum accidit; cum antiquam editionem LXX. Hebraico textui fuisse consentaneam, *Philo* Judaeus testetur Sed undecumque orta sit, sive ex librariorum errore, sive quia LXX. putarunt Patriarcharum annos fuisse lunares, nihil nobis incommodat, cum originali textui standum sit.

saicae veritas. Atque hic adversarii magnam naturalium rerum peritiam ostentant. Metalla, lapides, atque omnis generis fossilia longo ordine recensent, et sine controversia diserti sunt.

℞. *Neg. ant.* Mosaica enim historia longe melius, ac felicius explicat quidquid miri vel in terrae superficie, vel in imis ejus visceribus natura complectitur, quam aut *Buffonis* opinio, qua nihil absurdius ab homine docto fingi poterat, aut *Burneti*, *Wisthoni*, aliorumque Philosophorum commenta, et hypotheses, quas quidem adversarii ea tantum de causa commendant, quia sacrae historiae contrariae sunt. Ait enim Moyses, principio terram fuisse totam aquis coopertam; quod rerum naturae valde est consentaneum; cum enim haec immensa moles ex solidis, fluidisque partibus mixta esset, rerum natura postulabat, ut fluida superiorem, solida propter majorem gravitatem inferiorem locum peterent. Ceterum solida ipsa propter diversam gravitatem, variamque eorum naturam, in varia strata parallela disponi debuerunt. Neque tamen mirum videri debet, quod strata quaedam leviora inferius, graviora superius locata sint. Norunt enim Chymici, corpora solida, quae fluidis permixta sunt, aliquando in fundum vasis praecipitari non secundum speciei suae gravitatem, ac pondus, sed secundum variam inter ipsa corpora affinitatem. En igitur primigenia juxta sacras litteras telluris dispositio.

Verum si ea rerum constitutio permansisset, non fuisset tellus habitabilis. Jussit igitur Deus, ut *congregarentur aquae in locum unum, et appareret arida Gen, I. 9.* atque ita dicto citius ipse telluris nucleus figuram *sphericam* vel *spheroideam*, quam sub aquis habebat, in superficie mutavit: tum in altum elati montes, dejectae valles, et immensae illi aquarum copiae continendae laxata spatia. Utrum autem ea rerum mutatio naturalibus ex causis orta sit, sicut revera oriri potuit ex interioribus terrae fermentis, atque ignibus, an vero contra corporum gravium naturam ex ipso omnipotenti divinae voluntatis imperio, Scriptura non declarat. Id tamen certum est, factam esse in die una tam magnam rerum immutationem in primigenia, ac nativa tellu-

ris superficie, ad quam efficiendam multa seculorum millia nequaquam sufficere videbantur. Tunc prima illa terrarum strata, quae sub aquis fuerant, immutari vel omnino, vel magna ex parte debuerunt.

At enim illa ipsa telluris facies, atque interior constitutio quae tunc extitit, ex universalis diluvii aquis vehementer immutata est, atque pessumdata. In illa enim magna, atque horrenda naturae totius concussione primo quidem, ut ait Moyses *Gen. VII.* 11. *rupti sunt fontes abyssi magnae*, ita ut ipsa terrae superficies multis in locis aperta magnis hiatibus, et conquassata sit. Deinde praevalentibus diluvii aquis, mare tellurem universam occupavit, terrasque omnes, aliaque corpora, quae in aquis dissolvi possunt, corrupit, ac dissolvit. Tum vehementissimo motu agitatae aquae, ut ait Scriptura *Gen. VIII.* 3. *euntes*, *et redeuntes* magnos hac illac terrarum, atque arenae cumulos efficere debuerunt, in quibus et conchae, et pisces, et marinae plantae. Haec igitur omnia recedentibus aquis siccata durescere primum debuerunt; deinde mirabili illo succo, qui in terris est, ut Physici norunt, in lapides concreta sunt. Praeterea ex ipsis diluvii aquis, quae terram ipsam magna ex parte dissolverant, nova rerum strata effici necesse fuit, residentibus paulatim in aquae particulis, quae solutae fuerant. En igitur quomodo ex ipsa sacrarum litterarum narratione mire naturalium rerum explicaretur historia, nisi adversarii quodvis absurdum libenter accipere, ac deglutire mallent quam divinorum eloquiorum audire, et credere veritatem.

Sed et post diluvium multae etiam magnae, atque horribiles naturae concussiones variis in locis terrae faciem non multis saeculorum millibus, sed in momento mutarunt, terrae motus, improvisi hiatus, ingentes eluviones. Vidimus ipsi nostra aetate in Brutiis, sive in Magna Graecia tantam factam esse terrae motu perturbationem, ac ruinam, ut ipsa ibi terrae facies variis in locis mutata sit. Praeterea novas insulas in mari extitisse, nonnullas subsidisse, atque a mari absorptas esse, montes etiam in tellure novos terrae motibus fuisse creatos, veteres solo aequatos, eorumque loco immensos apparuisse lacus, est in historia naturali notissimum.

Quid dicam de Sicilia? quam ab Italia terremotu divulsam, vetus est traditio, ut idem canit Poeta, cujus versus est in objectione positus:

Haec loca vi quondam vasta convulsa ruina,
Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas,
Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus
Una foret; venit medio vi Pontus, et undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque, et urbes
Littore diductas angusto interluit aestu.

Quanta igitur rerum mutatio fieri debuit per quatuor annorum millia, ex quo diluvium contigit? praesertim cum fateatur *Buffonus*, tellurem adhuc recentem frequentioribus concuti debuisse motibus propter recentes adhuc, atque integras metallorum, ac sulpuris fodinas. Ex quibus corpora etiam illa explodi potuerunt, quae ex ignivomis montibus manare solent, de quibus in objectione facta mentio est, licet ejus rei memoria vel propter ipsam vetustatem, vel quia loca illa non dum ab hominibus occupata erant, servata non fuerit. Frustra igitur adversarii ad naturalem historiam, ad metalla, ad fodinas, ad strata parallela, atque ad multorum millium saeculorum somnia confugiunt, ut divinarum Scripturarum veritatem labefacteut, et in omnia abrupta se praecipitant, metuentes retia veritatis. Ceterum non defuerunt etiam inter recentiores Physicos viri doctissimi, qui posthabitis vanis, et commentitiis impiorum hypothesibus, ex ipsa diluvii historia aliisque naturae perturbationibus, quae post diluvium acciderunt, mira illa, quae adversarii objiciunt, explicare studuerunt, ita ut quo magis rerum natura examinatur, atque perspicitur, eo magis divinarum veritas litterarum perspiciatur, et constet.

Objic. XVIII. Ait Pentateuchi auctor *Genes XII.* 4. *Abraham* septuagesimum quintum egisse aetatis annum, cum ex Haran egressus est post mortem *Thare* patris sui. Atqui eodem in Libro *Genes. XI.* 32. *et XII.* 1. dixerat, *Thare* post Abrahami natalem, qui fuit anno septuagesimo ipsius *Thare*, vixisse annis ducentis et quinque: ex quibus etsi demas annos septuaginta, remanebunt anni centum triginta quinque. Repugnat ergo Abrahamum septuaginta quinque habuisse aetatis annos

post mortem *Thare*; atque in hoc auctor vel memoriae lapsum, vel numerorum imperitiam prodit. Ita *Voltairius.*

℟. *Neg. cons.* Quamvis enim daremus, in numeris irrepsisse mendum incuria amanuensium, nihil inde fides sacrorum librorum labefactari posset. Sed neque hoc concedimus in hoc loco accidisse. Quamvis enim affirmet auctor, *Thare* cum septuaginta annorum esset, genuisse *Abraham*, *et Nachor*, *et Aran*, non tamen ait, *Abraham* fuisse primogenitum, ut gratis fingit *Voltairius*, quamvis eum primo loco nominet, ob ejus celebritatem, sicut et Noe cum quingentorum esset annorum genuisse dicitur *Sem*, *Cham*, et *Japhet*, licet *Japhet* esset primogenitus (*a*). Adde quod in textu Samaritano *Thare* non 205. sed 145 annis vixisse dicitur. ex quibus si septuaginta demas, remanent adamussim 75. Sed ex priori responsione satis objectio diluitur, etiam positis Hebraici textus et Vulgatae versionis numeris.

Objic. XIX. Ait Moyses *Genes.* XVII. 10. Abraham a Deo ipso praeceptum circumcisionis accepisse, ut esset signum foederis, tuncque ipsum fuisse circumcisum cum esset annorum nonaginta novem; *Ismael* vero tredecim. *Hoc est*, inquit, *pactum meum*, *quod observabitis inter me*, *et vos*, *et semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum . . . . ut sit signum foederis inter me*, *et vos etc.* Atqui auctor est Herodotus *Lib. II. Cap.* 104. circumcisionem jamdiu apud Ægyptios, atque Æthyopes fuisse in usu, quod etiam testantur Diodorus Siculus *Lib. I. et Lib. III.* Strabo *Lib. XII. Celsus*, et *Julianus Apostata* apud *Origenem*, et *Cyrillum Alex.* Scribit etiam Clemens Alexandrinus, Pythagoram apud Ægyptios peregrinatum, ut mysteriis eorum fieret particeps, fuisse circumcisum. Neque est ullo pacto verisimile, Ægyptios circumcisionis ritum accepisse ab Hebraeis, quos contemnebant, et oderant. Ergo putandum est, Hebraeos potius illam ab Ægyptiis accepisse cum apud eos manserunt annis plusquam ducentis: Moysen vero, ut eum ritum commendaret apud populum, altius ejus originem a Dei ipsius mandato, ac foedere

(a) Vide Natalem Alex. *Dissert.* 1. *in II. Mundi aetate.*

deduxisse. Hinc subdit *Herodotus*, Palaestinae populos, qui certe Hebraei erant, fateri, se ab Ægyptiis circumcisionis usum didicisse. Ita ratiocinatur Voltairius *in Dictionario*, et ante eum Marshamius in *Canone Chronico*. Addunt vero increduli, Deum *Gen.* XIII. 15. promisisse Abrahamo terram Chanaan: *Tibi dabo terram hanc, et semini tuo*; quae promissio in Abrahamo falsa fuit.

R. *Dist. min. quoad* 1m. *part.* Et in ea narratione, sicut et in aliis bene multis nullam Herodotus meretur fidem, praesertim si eum mosaica historia comparetur, *conc.* Secus, *transeat.* Multis itaque fabulis scatere *Herodoti* historiam, jampridem sensere veteres; unde ait Cicero *Lib. I. de Leg. Apud Herodotum innumerabiles fabulae*: et *Plutarchus* de *Herodoto* scribens ait, multis opus esse voluminibus, ut omnia ejus demonstrentur errata, atque mendacia; quod et a *Diodoro Siculo* notatum est. Hunc igitur auctorem, quem ipse Cicero patrem mendaciorum appellat, quindecim saeculis Moyse recentiorem, in rebus Ægyptiacis, quas ipse Moyses in Ægypto natus scribit ad populum mox egressum ex Ægypto, cum Moyse ipso comparabimus, ne dicam praeferemus? Sed esto fuerit circumcisio tempore *Herodoti* apud Ægyptios in usu; num etiam in usu erat aetate *Abrahami*, aut *Moysis*? Si ita erat, cur *Moyses* circumcisionem praecepit ad distinguendum populum Israel a ceteris gentibus? Cur *Levit.* XVIII. 3. vetat Israelitas imitari mores, et ritus Ægyptiorum: *Juxta consuetudinem*, inquit, *terrae Ægypti, in qua habitastis, non facietis?* Cur *Josue* populum in deserto natum, et per quadraginta annos non circumcisum, ait, tulisse opprobrium Ægypti; qui deinde cum circumcisus est in Galgala, ait Dominus: *Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis? Jos. V.* 9. Cur ipse Cornelius Tacitus *Lib. V. Hist.* ait, *Moysen novos ritus, contrariosque ceteris mortalibus indidisse*, atque inter eos ritus circumcisionem recenset, *ut diversitate noscantur?* Imo ipse *Voltairius* fatetur, *Herodotum*, cum ea narrat, quae sibi a populis narrata sunt aniles venditare fabulas. Talis ergo est haec, quam scribit sibi narratam esse a Palaestinae populis, scilicet se ab Ægyptiis circumcisionem didi-

cisse. Palaestini enim illi non poterant esse Philistaei, qui semper incircumcisi dicuntur in Scripturis, nec Hebraei, cum nullus unquam Hebraeorum affirmaverit, ab Ægyptiis ad Israelitas circumcisionis usum fuisse propagatum. Hoc igitur unum ex *Herodoti*, et *Clementis Alexandrini* testimonio colligi potest apud Ægyptios longe post *Abraham*, imo et longe post *Moysen* circumcisos esse Sacerdotes, et Philosophos. Quem ritum si eos ab Hebraeis accepisse *Voltairio* non placet; acceperint illi fortasse ab Arabibus Ægypto finitimis, cum constet, Arabes ex *Ismaele* prognatos tertiodecimo anno pueros circumcidisse, quo anno circumcisus est *Ismael*: eodemque anno circumcidi solitos apud Ægyptios qui rebus erant sacris destinati, ut observat Ambrosius *Lib. II. De Abraham Cap.* 11. Vide eruditam Natalis Alexandri *Dissertationem VI. in III. Mundi aetat.*

Quod autem addebatur de promissione Abrahamo facta: *Tibi dabo terram hanc, et semini tuo*, non significat, Abrahamum ipsum possessurum esse terram illam, quod manifeste erat impossibile, sed ejus progeniem; particula enim *vau*, quam vulgatus interpres vertit *et*, saepe in Scripturis significat *idest*, ut *Bulletus* ostendit, ita ut promissionis sensus sit: *Tibi dabo terram hanc idest semini tuo.*

Objic. XX. *Abraham* Ægyptum ingrediens, ut fugeret famem, quae in terra Chanaan praevaluerat *Gen.* XII. 13 uxori *Sarai* persuasit, ut se sororem *Abrahae* profiteretur, quo facto adulterii occasionem praebuit Ægyptiis, sicut revera eam *Pharao* in uxorem, sive concubinam accepit. Atque eadem ratione se gessit, in Geraris, ubi iterum Abimelech eam tulit in uxorem, ejusque exemplo filius ejus *Isaac* idem fecit, cum *Rebecca* in Geraris *Genes. XXVI.* eam periculo adulterii objiciens. Atqui hoc scelus est. unde dicebat *Faustus* Manichaeus apud Augustinum *Lib XXII. cont. Faust. cap.* 32. Abrahamum uxoris suae pudicitiam sordidissimis nundinis duobus Regibus vendidisse; et tamen scriptura id videtur laudare, cum semper *Abraham* ut magnum virum praedicet, et omnium virtutum clarum insignibus, Ergo.

℟. Missa *Origenis* responsione, qui *Hom. VI. in*

Gen. fatetur, *Abraham* uxoris suae prodidisse castitatem ; missa etiam Chrysostomi sententia *Hom. XXXII. in Gen.* et Ambrosii *Lib. I. de Abraham cap.* 2. qui fatentur, *Abraham* esse necessitate mentitum, ex quibus non sequitur falsum esse Scriptorem sacrum, qui rem tantummodo narrat, uti revera gesta est; missa, inquam, ea sententia, respondemus cum *Augustino* tum *loc. cit. cont. Faust.* tum *Lib. I. contra mendac. Cap.* 10. Abrahamum nec fuisse mentitum, nec uxoris prodidisse castitatem Non est quidem mentitus, quia revere *Sarai* soror ejus erat ex eodem Patre, quamvis non eadem ex matre, ut ipse Abraham explicavit *Gen. XX.* 12. cum praesertim agnati fratres, et sorores dicerentur, sicut *Abraham Loth* fratrem suum appellat, cum nepos esset. Non prodidit vero uxoris castitatem, quia cum prudenter timeret, ne si eam Ægyptii uxorem ejus nossent, ipsum interficerent, eamque tollerent, quod malum longe majus erat; in re angusta, atque difficili minus malum elegit, ut eam uxorem esse non negaret, sed taceret, confisus providentia Dei, et *Sarai* pudicitiae, quod et ipsa servaretur incolumis, quam quidem illius spem non fuisse mendacem, probavit eventus. Tractat renfusius Natalis Alex. *Dissert. II. in III. Mundi aet.* et Calmet in *Comment.*

Objic. XXI. *Genes. XXII.* 16 dicitur *Tentavit Deus Abraham.* Et *Deuteron.* XIII. 3. *Tentat vos Dominus Deus vester.* Atqui hoc a bonitate Dei valde abhorret, unde dicitur *Jac.* I. 13. *Deus neminem tentat.* Ergo.

℟. *Dist. maj.* Tentavit *Abraham* Deus, et tentat ad probationem ; sive tentationem aliquando permittit ad majorem meritorum cumulum, *conc.* Tentavit, et tentat ad seductionem, sive ut ad peccatum impellat, *neg.* Hoc enim a bonitate Dei abhorrere, *Jacobus* Apostolus affirmat.

Objic. XXII. *Genes. XVI.* 2. et *XXV.* 6. *Abraham* cum *Agar*, et *Cetura* fornicatum esse legimus, quodque turpius est, ex consensu *Sarai* uxoris suae, et tamen magnis vir ille laudibus in sacris litteris extollitur. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Fuerunt enim illae verae uxores, licet non sollemniter ductae, ideoque concubinae dicantur, nec ab ancillarum conditione recesserint. Hinc in eodem

XXV. 1. *Cetera* vocatur uxor *Abraham*, sicut et *Agar* *Cap.* XVI. 3. Res igitur reducitur ad polygamiam, quam utpote non *directe*, sed *indirecte* juri naturali contrariam, priscis illis hominibus ut et *Abraham*, *Jacob*, etc. ex peculiaribus ejus temporis, et populi caussis permittebat Deus, quaque sapienter *Abraham* noluit sine consensu prioris uxoris uti, ne pax familiae perturbaretur. Vide Natalem Alexandrum in *Dissertat. De polygamia veterum Patriarcharum*.

Objic. XXIII. Quod Deus praecepit *Abrahae*, ut filium suum unigenitum *Isaac* immolaret, *Gen. XXII.* videtur naturae contrarium; vel ergo putandum est, Deum istud non praecepisse, falsamque esse Scripturam; vel jussisse malum, vel decipere Abraham voluisse, quae omnia absurda sunt.

℞. *Neg. ant.* Cum enim Deus utpote rerum omnium creator, et Dominus, vitae, necisque supremum jus habeat, poterat etiam suo jure ejusmodi sacrificium postulare. Sed neque id voluit, nec decepit Abraham, sed ejus fidem et obedientiam facto illo omnium difficillimo ostendit; et omnibus saeculis celeberrimam effecit. Cum igitur Abrahae evidentissima esset Dei jussio, non disputavit, aut dubitavit de ratione praecepti, sed credidit Deum posse etiam occisum Isaac a mortuis suscitare.

Objic. XXIV. Genes. XXXII. 24. Ait Moyses Jacobum luctatum esse tota nocte cum Deo, imo eum vicisse; ita ut tandem quasi victus dimitti se Deus postulaverit: *Dimitte me*, inquit, *jam enim ascendit aurora.* Cui Jacob: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. At ille benedixit ei nomenque mutavit: Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel; quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra hominem praevalebis?. . . Vocavitque Jacob nomen loci illius Manuel, dicens: Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea*, quamvis in ipsa lucta in nervo femoris percussus, vel semper in posterum, vel aliquandiu claudus factus fuerit. Atqui hoc incredibile omnino videtur. Primo enim Deum cum homine luctari multis rationibus videtur absurdum: sed in ipsa lucta praevalere non posse, imo et vinci, et

postulare, ut propter orientem auroram dimittatur, longe absurdissimum Deinde hominem jam victorem conditionem pacis Deo imponere, scilicet ut ei benedicat, rationi videtur esse contrarium. Qualis porro fuit illa benedictio, qua *Jacob* pede claudus remansit? Denique hominem corporeis oculis videre Deum *facie ad faciem* nullo modo posse, res est apud Theologos, atque Philosophos explorata; imo etiam spiritualibus intelligentiae oculis videre Deum nulli praeter Christum in hac vita datum fuisse, verisimilior est sententia; cum ipse Deus in *Exodo* affirmasse dicatur *Exod. XXXIII.* 20. *Non videbit me homo, et vivet*; quae verba iis, *quae Jacob* in hoc *Geneseos* loco dicit, contraria videntur. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Haec enim verba sunt Moysis: *Mansit Jacob solus; et ecce vir luctabatur cum eo usque mane; qui cum videret, quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, et emarcuit*; quae verba non significant, Deum ipsum cum *Jacobo* esse luctatum, atque ab eo victum. Quare Origenes *Lib. III. Periarch.* Hieronymus *in cap. VI. epist. ad Ephes.* Rupertus *in Genes.* luctam illam putant fuisse spiritualem, eamque per metaphoram esse intelligendam docent. Alii volunt virum illum, qui cum Jacobo luctabatur, vel fuisse diabolum contra quem Jacob cum Deo, hoc est a Deo adjutus luctabatur, vel phantasma potius fuisse, quam hominem. Sed nos, missis hisce interpretationibus, concedimus, pugnam illam fuisse veram, non tamen cum Deo, sed cum Angelo humana corporis specie induto, ut aperte ait Oseas *Os. XII.* 3. *In fortitudine sua*(Jacob) *directus est cum Angelo, et invaluit ad Angelum, et confortatus est.* Quod et Augustinus *Q. CIV. in Genesi et Lib. XVI. De Civ. cap.* 39. aliique post eum Patres et Theologi arbitrati sunt, cum veteres plerique omnes non Angelum, sed ipsum Dei filium humano corpore indutum apparuisse docuerint, qua de re *Lib. IV. Instit.* satis diximus. Hoc autem posito, quod vir ille, qui cum *Jacobo* luctatus erat, Angelus fuerit humana specie, omnia illa, quae tamquam absurda in argumento posita sunt, facile erit intelligere. Cum enim *Jacob*, audito *Esau* adventu, cujus indignationem vehementer pertimescebat, consternatus oraret Deum, ut sibi in tan-

to periculo opem ferret; voluit Dominus labentem, ac dejectum ejus animum erigere; atque experimento edocere, tantam esse erga eum Dei providentiam, et curam, tantumque ejus auxilium, ut non sua, sed divina ope fretus nihil ab hominibus metueret, qui etiam adversum Angelum praevaluisset. Quamvis autem naturales Angelorum vires in corporibus movendis, humanas longe superent ut *Lib. V. Part.* 2. diximus; tamen cum nihil, ut ibidem ostendimus, nisi ex Dei permissione, possint, effecit Deus, ut in lucta illa Angelus *Jacobo* praevalere non posset, vel quia non permisit totas vires suas Angelum exercere, vel quia majores quam natura sua essent, *Jacobo* vires in eo certamine adjecit. Ne tamen sibi postea victoriam, et non divino adjutorio tribueret, voluit etiam ut tacto femoris nervo claudicaret, qua ex re, quantum in ea lucta accipere detrimentum potuisset, nisi adjuvisset Deus, facile *Jacob* intelligeret. En igitur ratio cur *Jacob* cum Angelo luctatus fuerit, cur in certamine praevaluerit, cur claudicaverit; cur benedictionem postulaverit, cur eum cum quo certaverat, facie ad faciem vidisse dixerit. Restat tantum difficultas cur ille Deus dicatur: *contra Deum praevaluisti; vidi Deum facie ad faciem*: sed haec facilis expeditu est. Nam et ille, qui Moysi locutus est, Deus dicitur, et tamen alibi Angelus appellatur *Act. VII.* 30. *Gal. III.* 19 quippe qui Dei personam gerebat; et saepe in veteris Testamenti libris Dii improprie appellantur, qui aliquam divinitus potestatem acceperunt, ut in nostris Institutionibus saepe advertimus.

Objic. XXV. Genes. XXXVI. 2. *Esau accepit uxores Ada . . . Oolibama . . . et Basemath.* Contra *Genes. XXVI.* 34. uxores ejus fuisse dicuntur *Judith filia Beeri, et Basemath filia Elon.* Ergo sibi auctor videtur aperte contradicere.

℞. *Neg. cons.* Si enim cum nonnullis interpretibus diceremus *Judith* filiam *Beeri*, de qua sermo est *Genes. XXVI.* aliam fuisse praeter eas, quae *Cap. XXXVI.* commemorantur, jam difficultas evanesceret. Sed necesse non est ad eam confugere responsionem, cum saepe in Scripturis tam viri, quam mulieres non uno tantum nomine vocentur; sicut *Esau* dicitur etiam *Edom*, *Jacob*

Israel, etc. ita ut vel *Ada*; vel *Oolibama* eadem esse possit, quae alibi *Judith filia Beeri* appellatur; quod et *Calmetus*, et *Menochius*, et *Gordonus*, et alii passim observant Interpretes.

Objic. XXVI. *Gen.* *XLIII.* 16. Ait *Joseph* dispensatori domus suae in adventu fratrum suorum: *Occide victimas, et instrue convivium.* Et *Gen.* *XLIV.* 5. praecepit eidem dispensatori, ut persequeretur fratres suos, et diceret *Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit dominus meus, et in quo augurari solet.* Et ipse Joseph ait fratribus suis: *An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Ex quibus apparet, *Josephum* idololatriam Ægyptiorum, ac superstitiones fuisse sectatum, et tamen ubique laudatur ejus pietas. Ergo.

℟. *Neg. ant. quoad* 2.m *part.* Quod enim ait: *Occide victimas*, nullam injicit idololatriae mentionem. *Grotius* quidem putat, nondum eo tempore in Ægyptum idololatriam fuisse invectam; sed quamvis ponamus, jam tum idololatras fuisse Ægyptios, poterat *Joseph* animalium quae occidi jusserat ad convivium, sanguinem vero Deo libare. Alter locus de *scypho* majorem difficultatem habet. Augustinus *Quaest. CXLV. in Genes.* putat, ea dispensatorem non serio fuisse locutum ad terrorem fratribus Josephi incutiendum. S. Thomas 2a. 2ae. *Q. CXCV. art.* 7. ait, Josephum, ejusque dispensatorem locutos esse juxta Ægyptiorum opinionem, qui illum augurem esse existimabant. Putat *Grotius*, verba illa, *in quo augurari solet*, accipi posse in bonam partem, ut scilicet significent, *Josephum* cum somnia interpretari vellet, ex eo scypho solitum fuisse libare, ac sacrificia Domino offerre; non vero magicam, ac superstitiosam instituisse divinationem, quae scypho a veteribus Ethnici fiebat. Alii textum Hebraicum aliter explicant. Sed nobis *Augustini* sententia magis arridet.

Objic. *XXVII. Genes. XLVIII.* 21. *Ait* Jacob *ad Joseph filium suum: En ego morior, et erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum. Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio, et arcu meo.* Constat autem ex *Genes. XXXIII.* 19. *Jos.* *XXIV.* 32. partem illam

emtam essem a Jacob centum agnis: *Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula a filiis Hemor patris Sichem centum agnis*; quos quidem agnos *Arias Montanus*, *Drusius*, *Grotius*, multique alii recentiores significare volunt argenteos nummos, quibus agni figura insculpta erat. Falsum igitur videtur *Jacob in gladio, et arcu*, seu vi et armis agrum illum Amorrhaeis abstulisse.

℟. *Neg. cons.* Quamquam enim agrum illum *Jacob* ab Amorrhaeis vel argento vel agnis emit; tamen cum ejus filii propter *Dinae* sororis suae stuprum ingentem cladem Sichemitis intulerint, ut legimus *Genes. XXXIV.* abscedere inde *Jacob* cum tota familia, Deo jubente, coactus est *Genes. XXXV.* 1. *et seqq.* ideoque eo rediens occupatum a Sichemitis agrum vi et armis vindicavit. Ita *Magius*, *Pererius*, *Bonfrerius*, aliique opinantur, quae sententia ceteris omnibus verisimilior est.

Objic. XXVIII. *Genes. XLIX.* 7. Jacobus singulis filiis benedicens, de Simeone, ac Levi ait: *Maledictus furor eorum, quia pertinax, et indignatio eorum, quia dura. Dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israel.* Atqui ea praedictio falsa fuit. Quamvis enim tribus *Levi* inter ceteras dispersa fuerit, non poenae, sed honoris causa; quia ad Sacerdotium fuit destinata; tribus tamen *Simeon* suam a ceteris tribubus distinctam partem accepit in terrae Chanaan distributione. Ergo.

℟. *Neg. min.* De tribu enim *Levi* patet prophetiae veritas, quamvis honor Sacerdotii ejus dispersionis occasio fuerit. Tribus autem *Simeon* partem quamdam habuit ex regione tribus Juda avulsam, *Jos. XIX.* ita ut tribus *Simeon* in regione Judae habitaverit.

Objic. XXIX. Exod. VI. 3. Haec a Deo Moysi dicta referuntur: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, et Isaac, et Jacob in Deo omnipotente; et nomen meum Adonai non indicavi eis.* Atqui pluribus in locis Geneseos aetate *Abrahami*, *Isaaci*, et *Jacobi* appellatur Deus *Adonai.* Nec difficultatis nodus exsolvitur ex Hebraico textu, in quo legitur: *et nomen meum Jehova non indicavi eis*, nam etiam ante illud tempus, imo ab ipso mundi exordio appellatum Deum *Jehova* legimus, ut *Genes.* IV. 26. ubi de *Seth* Adae filio dicitur:

ipse coepit invocare nomen Domini; in Hebraico est: *Tunc incoeptum est invocari in nomine Jehova*. Ergo.

℟. *Neg. min. quoad 2m. part.* Ex textu enim Hebraico haec omnino exufflatur objectio. Patet enim ibi non nomen *Adonai*, sed nomen *Jehova* positum esse. Nomen autem *Jehova* tunc primum sibimetipse tribuit Deus, cum in rubo Moysi apparens, ab eoque interrogatus, quodnam esset nomen ejus, respondit *Exod. III*: 14. *Ego sum, qui sum*, quo nomine *Jehova* significatur. Cujus quidem nominis cum vera pronunciatio ignoraretur, propterea quod Hebraei summa religione ab eo pronunciando abstinerent, maluit interpres nomen *Adonai*, quam nomen *Jehova* adhibere. Vide quae diximus *Lib. III. Cap. 2. in Corol.* Verum itaque est, Deum Abrahamo, ceterisque ante Moysen patribus nomen suum *Jehova*, quod plus ceteris divinam essentiam significat, non indicasse. Sed cum Moyses *Genesim* scripserit, postquam nomen illud ei Deus revelaverat, recte eo nomine usus est, quod iis temporibus, quibus scribebat, notum erat, quamvis non iis fuerit temporibus agnitum, quibus vivebant Patriarchae, quorum vitam enarrat. Sic et Virgilius de Ænea ait: *Italiam fato profugus, Lavinaque venit littora*, quamvis ea nondum *Lavina* dicerentur, cum Æneas in Italiam appulit. Haec responsio satis superque difficultatem solvit, ut necesse non sit eorum sequi responsionem, qui laudatum *Exodi* locum interrogandi modo ita legendum putant: *et nomen meum Jehova nonne indicavi eis?* quam lectionem Dorschaeus *Dissert. De nomine Jehova*, Gatakerus *Miscellan. Cap.* 18. Colomesius *Observat. Sacr.*, et Arabica versio sequuntur, ut notat Calmetus *in hunc loc.*

Objic. XXX. Exod. X. 21. Ait Dominus Moysi: *Extende manum tuam in coelum, et sint tenebrae super terram Ægypti tam densae, ut palpari queant.* Atqui hac in re videtur auctor contra prima errasse principia Physicae; quis enim vel plumbeus in rebus Physicis ignorat tenebras, quae mera luminis privatio sunt, nullo unquam pacto palpari posse? Ergo.

℟. *Neg. min.* Nonnulli quidem interpretes ita Hebraicum textum explicant: *sint tenebrae tam densae, ut*

in meridie *palpandum sit*; quod in densissimis tenebris ab incedentibus fieri solet. Sed missa etiam hac interpretatione, quae et satis objectionem solvit, et nativum quodammodo sensum habet, respondemus, tenebras ideo dici palpandas, vel quia, ut *Sererius* aliique opinantur, a densissimis nebulis, spississque vaporibus productae sunt, quos vapores palpari aliquando posse (hoc est manum agitando sentiri) nemo negat, vel quia per hyperbolem tenebrarum illarum densitatem explicare auctor voluit, quae communior interpretum sententia est.

Objic. XXXI. In exitu Filiorum Israel ex Ægypto auctor fuit *Moyses* populo, et quidem, ut ait, Dei nomine, ut unusquisque ab amicis suis Ægyptiis vasa aurea, argentea etc. quasi commodata peteret, quae deinde ex Ægypto profecti secum abstulerunt. Sed techna ista turpissimum furtum est, ingratumque erga commodantes prodit animum, ideoque Deo indignum videtur. Ergo.

℟. *Neg. min.* Cum enim Deus rerum omnium Dominus, quo auctore *Moyses* loquebatur, earum rerum dominium ab AEgyptiis in Hebraeos transtulisset, ut justa eis saltem ex parte daretur merces eorum operum, ad quae injuste compulsi fuerant, jam furtum censeri non poterat. Imo cum Hebraei ex Ægypto jamjam profecturi essent, nec ulla ratio in posterum futura esset justam mercedem suorum operum repetendi, non fuisset furtum illa compensatio, etsi Deus id expresse non praecepisset. Nec fraus ea in re, aut mendacium intercessit, cum Ægyptii ipsi postquam vasa commodassent, quae Hebraei acceperant animo restituendi, si res in eodem statu permansissent, morte primogenitorum perterrefacti Hebraeos cito proficisci compulerint *Exod.* XII. 33. Tractant hac de re passim Theologi, nos etiam *Lib. XI. Cap. IX.* explicavimus.

Objic. XXXII. Justinus *Lib.* XXXVI. et Tacitus *Lib. V. Hist.* auctores sunt, Judaeos fuisse propter lepram ab Ægypto expulsos. Falsum ergo est quidquid *Moyses* narrat de miraculis, quibus populum ex Ægypto eduxit.

℟. *Neg. cons.* Stultum enim est in historia emigrationis Israëlitarum ex Ægypto *Justinum*, et *Tacitum*

Scriptores recentissimos, atque Gentiles praeferre *Moysi* coaevo historiae illius Scriptori, cum praesertim innumeras *Justinus* ipse, et *Tacitus* narrationi suae fabellas misceant, *ex. gr.* quod *Moyses* natus sit ex *Josepho*, *Saron* ex *Moyse*; quod *Saron* regia dignitate potitus sit, atque alia ejusdem generis.

Objic. XXXIII. *Exod. IX.* 6. Ait Moyses, quinta plaga, qua Deus percussit Ægyptios mortua esse omnia animalia Ægyptiorum; et tamen ibidem *v.* 25. scribit, septima plaga *periisse in omni terra Ægypti cuncta, quae fuerint in agris ab homine usque ad jumentum*: imo addit *Exod. XIV.* 9. Pharaonem Israelitas insequutum esse cum equitatu, et curribus. Atqui haec secum repugnantia sunt. Si enim quinta plaga omnia animantia perierunt; nulla remanere potuerunt interimenda per septimam, et multo magis Pharao equitatu, et curribus, fuisset destitutus, quibus Israelitas insequeretur. Ergo.

℞ *Neg. min.* Quod enim ait Moyses, quinta plaga omnia animantia periisse intelligendum est de omnibus animantium generibus, non de singulis omnium generum, quod non est in Scripturis insuetum: unde remanserunt adhuc jumenta, quae septima plaga perierunt. Sed nec septima plaga ait Moyses omnia jumenta, sed ea tantum, quae fuerunt in agris propter ingruentem vim grandinis periisse. *Sed qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis fecit confugere jumenta in domos*, *Exod. IX.* 20. Ita omnis contradictio, ac repugnantia tollitur.

Objic. XXXIV. Exod. XII. 40. ait auctor: *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*; qua in re manifestus videtur esse Scriptoris error: cum ab ipso anno quo Deus Abrahae posteris terram Chanaan pollicitus erat, hoc est ab anno Abrahami LXXV. usque ad exitum nepotum ejus ex Ægypto quadringenti triginta anni sint; ideoque demtis annis, quibus *Abraham*, *Isaac*, et *Jacob* in terra Chanaan peregrinati sunt, vix inveniantur habitationis in Ægypto anni plus minus ducenti et quindecim. Ergo.

℞ *Neg. ant. quoad 2. part.* Etenim 1.° librariorum hic error esse potest, quod, ut in *Institutionibus* nostris

saepe diximus, non solum in Vulgata versione, sed in ipso Hebraico textu in rebus ad religionis, et fidei summam non pertinentibus potuit accidere, imo et non semel accidit. Certe Septuaginta interpretes vel melioribus usi Codicibus, vel mendum corrigentes, vel sententiam clarius explicantes, ita hunc locum transtulerunt: *Incolatus filiorum Israel, quem incoluerunt in terra Ægypti et in terra Chanaan ipsi, et Patres eorum, anni quadringenti triginta*, atque ita hunc locum legerunt Josephus *Lib. II. Antiq. Cap.* 6. Eusebius *in Chron.* Augustinus *Quaest. XLVII. in Exod.* aliique; quae quidem lectio sine ulla dubitatione difficultatis nodum dissolvit. 2. Posita etiam vulgatae versionis lectione, ita eam cum *Estio* possumus intelligere: *Habitatio filiorum Israel in Ægypto explevit numerum illum quadringentorum triginta annorum*, qui ex Dei praedictione *Genes. XV.* 13. antequam filii Israel a servitute in libertatem vindicarentur, debebant excurrere. Quamvis enim ibi tantum praedicantur anni peregrinationis quadringenti, tamen additis annis triginta, qui fluxerunt ante natum *Isaac*, de quo promissio facta est, quadringenti triginta exurgunt anni, ut dicemus inferius ad *Object. CCVI.* 3.° Cum ipse *Abraham* ante natum *Isaac* in Ægyptum, cogente fame, profectus, ibique aliquandiu moratus sit *Genes. XII.* possumus quadringentos triginta annos, in hoc *Exodi* loco ab eo tempore numerare, quo tempore familia illa primo in Ægyptum venire coepit, hoc est ab aetate Abrahami, quae quidem *Malvendae* opinio est, et explicatio.

Objic. XXXV. Transitus maris rubri *Exod.* XIV 21. ita ab auctore Pentateuchi describitur, ut levante manum *Moyse*, aquarum moles in duas partes scissa sit, siccatoque maris fundo, *filii Israel* ingressi sint *per medium sicci maris*; *erat enim aqua quasi murus a dextra eorum, et a laeva*: Atqui *Josephus* Hebraeus *Lib. II. Antiq. Cap. ult.* et *Artapanus* Ægyptius apud Eusebium *Lib. IV. Praep. Evang. Cap.* 17. nihil aliud tunc contigisse narrant, nisi naturalem, et quotidianum maris aestum, quem Moyses quidem eorum peritissimus locorum observaverat; at Israelitarum imperita multitudo miraculum putavit; Joannes vero Cleri-

cus in *Dissert. de traject. maris Idumaei* ad summum concedit, exortum esse opportune validiorem ventum, qui reciprocantem maris aestum majorem fecerat. Ergo etc.

R. Trans. min. neg. cons. Etenim 1.° stultum est, ut paulo ante diximus, in historia nuperos auctores multis post saeculis natos praeferre iis, qui rebus interfuerunt, quas suis sub oculis gestas narrant; cum praesertim *Josephus*, et *Clericus* nonnisi ex *Moyse* rem acceperint, quem fatentur auctorem esse coaevum, ac divinitus inspiratum, *Artapani* autem Scriptoris Ethnici, multisque saeculis Moyse junioris testimonium nullius momenti sit. Atque eo magis Mosaicae narrationi standum est, quod ejusdem prodigii eadem semper ratione in aliis Scripturarum libris mire constans mentio occurrit, ut *Psal.* CV. *et* CXXXV. *Sap. X.* 18. *Judith. V.* 12. *Hebr.* XI. 19. ita ut conservatam apud Hebraeos ejus rei traditionem, perspicuum sit. 2.° Si Moyses reciprocantis aestus occasione populum traduxisset, non potuisset utique tam certo praedicere *Exod.* XIV. 11. *State, et videte magnalia Dei, quae facturus est hodie; Ægyptios enim, quos nunc videtis, numquam ultra videbitis usque in sempiternum.* Quomodo enim scire poterat, Ægyptios eadem via sine metu redeuntis undae, quam certo cognoscere debebant, Israelitas insecuturos? 3.° Maris aestus nec satis amplum relinquebat spatium, nec tempus opportunum, quo immensa illa hominum multitudo, cum jumentis, plaustris, aliisque omnis generis impedimentis traduci posset. Quippe sex horarum spatio sensim a litore recedit, quibus elapsis redit iterum, vixque trecentos relinquit humentis adhuc, ac madidae, ideoque inviae arenae passus, quos etiam redeunte statim aestu occupat. Dixi autem *transeat min.* quia ipse *Josephus* loco in objectione laudato rem ita, ut in Exodo legitur, enarrat; *Haec ego*, inquit, *ut in sacris codicibus inveni, ita singula conscripsi*, licet postea, ut rem gentilibus credibilem ostendat, in ejus exemplum proferat etiam Alexandri transitum per angusta litora maris Pamphilii, qua in re, ut saepe alias, veritatem Sacrae historiae imprudenter extenuat. *Artaphanus* vero in eodem *Eusebii* loco licet affir-

met, a Memphitiois quidem narrari, Moysem, observato reciprocantis aestus tempore, Hebraeos traduxisse: *Ab Helipolitanis vero*, inquit, *secus*; *Quippe Regem abeuntes Judaeos, quaeque ab Egyptiis mutuo acceperant, secum auferentes, ingenti exercitu cum animantibus consecratis persecutum esse*; *at Moysem uti mare virga perculeret, divinitus admonitum aquam virga tetigisse, ac discedentibus illico fluctibus copias sicco tramite deduxisse.*

Inst. Hebraei antequam mare transirent, castrametati sunt in AEtham *Exod.* XIII. 20. *Profectique de Socoth castrametati sunt in Ætham in extremis finibus solitudinis.* Atqui post transitum adhuc fuerunt in AEtham, ut constat ex *Num.* XXXIII. 8. *Transierunt per medium mare in solitudinem, et ambulantes tribus diebus per desertum AEtham venerunt in Mara.* Ergo non recta transgressi sunt in litus adversum, sed radentes litus Erythraei occiduum, quod AEgyptum spectat, mare circumierunt. Atque hanc sententiam, inquit Calmetus *Dissert. de transfret. Erythr.* non solum veteres nonnulli apud *Gregorium Touronesem*, verum etiam *S. Thomas*, *Tostatus*, *Paulus Burgensis*, *Genebrardus*, *Grotius*, *Vatablus*, *Aben-ezra*, aliique ex Rabbinis apud *Fagium* secuti sunt. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Et desertum AEtham latissimum erat incipiens ab extrema Erythraei ora, et per multa milliaria adversi litoris patens, *conc.* Secus, *neg.* Ait igitur *Moyses*, Hebraeos de *Socoth* venisse primum in *AEtham*, sive ad ea loca, ubi desertum illud incipiebat, *in extremis finibus solitudinis*; sed jubente Deo, regressos esse in *Phihahiroth*, et castra posuisse contra mare. Deinde, insequentibus Ægyptiis, per medium mare transeuntes evasisse in desertum *Sur. Exod.* XV. 22. quod partem esse deserti *AEtham* ex laudato *Numerorum* XXXIII. loco intelligimus, quod quidem tam late patebat, ut tridui itinere per illud ambulantes Hebraei tandem venerint in Mara *Exod.* XV. 23. *et Num.* XXXIII. 8. Hanc immensam deserti illius latitudinem non advertentes recentiores illi, qui in objectione laudati sunt, putarunt, Moysen non in adversum Erythraei litus traduxisse Hebraeos. Ceterum non negarunt illi prodigium, quo maris undae hinc inde divisae sunt, sed

existimarunt, Israëlitas circulo quodam per medium sicci maris in idem occidentale litus evasisse, quód Ægyptum respicit. Cetera autem quae impii homines contra miracula *Moysis*, aut generatim contra miracula ipsa objiciunt, quia satis ea in Institutionibus nostris refutavimus, hic praetermittenda putamus. Vide Du Clot *in Cap. VII. et seq. Exodi.*

Objic. XXXVI. Historia adorationis vituli aurei in deserto Sinai *Exod.* XXXII. prorsus est incredibilis; ac poena ipsa ejus criminis in *Exodo* narrata, Deo videtur indigna. Etenim 1.° non est credibile, Hebraeos paucis ante diebus tot miraculis ex AEgypto eductos; in idololatriam ruisse, cum praesertim fumaret mons Sinai, crebrisque micaret ignibus, tonitribus etiam, et buccinae sonitu personaret, quae omnia praesentis Dei terrorem incutere populo debuissent, ac proinde vel falsa illa miracula fuerunt, vel falsa vituli inter tot prodigia adoratio. 2.° Nec tanta auri copia, unde vitulus conflaretur, esse poterat populo, qui nec facultatem habebat soleas reficiendi, nec artifices, nec instrumenta, nec tempus auro fundendo suppetebant; et tamen die uno haec omnia facta sunt. 3.° Quod addit Scriptura, *Moysen* vitulum aureum in pulverem redegisse potabilem, absurdum est; cum nulla id arte *chymica* fieri possit. 4.° Soli Levitae viginti tria hominum millia occidere non poterant, nec, si potuissent, tanta poena Dei bonitatem decebat. 5.° Tot millibus hominum occisis, *Aaronem*, qui populo in idoli adoratione praeiverat, ad summum Sacerdotium fuisse evectum, justitiae Dei repugnat, et valde monstrosum est. Ergo. Ita passim *Voltairius*, *Tindal*, *Collinsius*, *Bolingbrochius etc.*

℟. *Neg. ant. Ad* 1m. Quamvis miranda sit pervicacia populi, qui paulo ante miracula in AEgypto viderat, non est tamen incredibilis, praesertim cum putarent Hebraei, Moysen, qui jamdiu in montem ascenderat, neque exacto jam mense, revertebatur, mortuum esse, seque sine ullo religionis cultu relictos in deserto posse Deum colere sub ea visibili forma, quam ab Ægyptiis coli viderant; unde ait *Aaron* post erectum vitulum *Exod.* XXXII. 5. *Cras sollemnitas Domini* (Jehova) *est.* Ceterum ea in re sive AEgyptiacum numen *Apin*,

ut Patres plerique docent, sive verum Deum sub vituli specie adorare populus voluerit, ut *Bochartus*, *Vatablus*, *Estius*, aliique recentiores existimant, sine dubio gravissime peccavit; sed non idcirco incredibile peccatum est in populo illo *durae cervicis.* Imo insanum prorsus est id negare; vel enim concedunt adversarii, quod certissimum esse alibi ostendimus, *Moysen* esse Pentateuchi auctorem, et manifesta veritas narrationis, est, cum scripta sit viventibus illis, coram quibus accidit; vel contendunt, auctorem esse *Moyse* posteriorem, at etiam ea re posita, cum non soleant in opprobrium, sed in laudem gentis suae mentiri historici; perspicuum est nequaquam ista fuisse scripturum auctorem, nisi tam certa traditione constitissent, ut dissimulari non possent. Quod autem addunt de monte Sinai micante ignibus, resonante tonitribus, nihil nobis incommodat. Quamvis enim Scriptura dicat, haec omnia visa esse cum *Moyses* ascendit montem; non tamen affirmat, quod ipsi gratis fingunt, totis quadraginta diebus, etiam cum vitulus fieret, perdurasse.

Ad. 2m. Non tanta auri copia ad vitulum conflandum necessaria erat. Non enim de equo Trojano aedificando agebatur, sed de exiguo simulacro, quod in via ante populi agmen gestari posset: *Fac nobis*, inquiunt, *Deos*, *qui nos praecedant.* Ceterum satis auri, atque argenti populo suppetebat, qui praeter sua omnia, quae in AEgypto possidebat, vasa etiam aurea, atque argentea ab AEgyptiis paulo ante commodata transtulerat. Artifices autem, et instrumenta fuisse nulla inter tot centena hominum millia, qui ex AEgypto, ubi artes, et scientiae florebant, egrediebantur, ridiculum dictu est; cum praesertim non *Phidiae*, aut *Praxitelis* opus, sed parvum aliquod formandum esset simulacrum, quod visuli faciem utcumque repraesentaret. Simili ratione exsufflantur etiam *Voltairii* sophismata contra tabernaculi, et Arcae constructionem in deserto, cum praesertim in iis elaborandis Deus *Beseleel*, et *Ooliab* artifices peritissimos singulari sapientia donaverit *Exod.* XXXI. *et* XXXV. Uno autem die factum id adversarii mentiuntur, cum nihil tale Scriptura affirmet. Soleas tamen populus in deserto reficere non poterat, quae non ex auro, sed ex coriis fieri debebant, quibus populus carebat.

Ad 3m. Dum chymicae artis peritiam jactant adversarii, nimis ejus ignaros se produnt. Aurum enim in pulverem redactum, atque potabile effecit *Ernestus Sthal*, ita ut hodie ea de re *Chymici* non dubitent; imo etiam hoc esse certum, et experientia probatum, jampridem notaverat *Aben-ezra*, et quamvis ea nobis ars ignota esset, non inde sequeretur, ignotam fuisse olim Ægyptiis, ex quibus Moyses eam comparavit. Certe cum Exodi auctor id scribat, factum certissimum esse debuit, licet quanam id arte factum sit, in tanta temporum antiquitate nesciremus. Accedit quod non omnino certum est ex textu Hebraico, Moysen pulverem hunc ex auro effecisse arte *chymica*, et non potius tunsione. Valde enim probabilis est *Bocharti* sententia, Moysen tundendo aurum in minutissima frusta, sive in pulverem redegisse, quem cum in profluentem conjecisset, unde Israelitae bibebant, ideo scriptum esse in *Exodo*: *dedit eum potum filiis Israel.* Sic enim ait in *Deuteronomio Cap. IX.* 21. *Vitulum arripiens igne combussi, omninoque in pulverem redigens projeci in torrentem, qui de monte descendit.*

Ad 4m. Levitae illi non erant pauci quidam diaconi, ut fortasse adversarii stultissime arbitrantur, sed universa tribus Levi, quae saltem duodecim armatorum millia suppeditare potuit, a quibus vigintitria millia hominum inermium, et timore perturbatorum inter festivas epulas, et saltationes caesa esse nihil esset absurdi, cum etiam *Miltiades* exigua Graecorum manu apud Marathonem centum millia Persarum magna illata clade profligaverit, multosque alios sciamus exercitus aliquando a minori militum numero internecione deletos. Sed in Hebraico textu, cui consonat etiam Arabica, Syriaca, et Graeca versio, nec non Chaldaica paraphrasis, et plures Latinae versiones antiquae, non vigintitria millia hominum caesa legimus, sed *circiter tria millia.* Hunc autem hominum numerum Dei jussu multatum morte propter idololatriam, in quam post tot Dei beneficia ruerant, quamque Deus omnino a populo illo extirpatam voluit, non immanitatis, sed justitiae, et misericordiae fuit.

Ad 5m. Peccavit quidem *Aaron*, nec se virum fortem praestitit, quem non quatit civium ardor prava ju-

bentium. Sed timor concitati, ac tumultuantis populi fecit eum minoris peccati reum, quod peccatum poenitentia delevit, nec illico ad Sacerdotium, sed multos post menses evectus est. Vide de his omnibus *Litteras ad Voltairium* (a). Vide etiam Calmet in *Commentariis*..

Objic. XXXVII. Exod. XXXIII. 7. *Moyses tollens tabernaculum tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus tabernaculum foederis.* Atqui nondum jussu Dei erectum erat tabernaculum, quod tandem erectum esse scribitur *Exod. XL.* Ergo.

℟. *Dist. maj.* Et tabernaculum illud, quod *Exod. XXXIII.* Moyses tetendit extra castra, non erat tabernaculum illud, quod postea Deo jubente erexit *Exod. XL.* sed tentorium Moysis, ut putat *Philo* Judaeus, *Grotius*, aliique; vel aliud publicum tabernaculum, ubi seniores convenire consueverant, et Dominus ad Moysen loquebatur, antequam tabernaculum extrueretur, *conc.* Secus, *neg.*

Objic. XXXVIII. Exod. XXXIV. 29. *Cum descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, et ignorabat, quod cornuta esset facies ejus ex consortio sermonis Domini.* Qua ex re perterrefactis Israelitis, factum esse ibidem dicitur, ut velare Moyses faciem suam debuerit, cum ad populum loqueretur. Hinc pictores Moysen cornuta facie pingere consueverunt. Atqui hoc absurdum est. Primo enim quis credat homini cornua nasci potuisse? Deinde qualis hic honor, ac decus fuit, ut ex consortio sermonis Domini homo in bestiarum figuram, et formam mutaretur? Ergo.

℟. *Dist. maj.* In laudato Exodi loco cornua nihil aliud, nisi radiantem ex Moysis vultu splendorem significant, *conc.* Vera significant animalium cornua, *neg.* De laudato quidem Exodi loco Sixtus Senensis *Tom. II. Biblioth. Lib. V. Annot. CXVI.* haec habet: *Hieronymum admiratur Augustinus Chisamensis Episcopus* (b) *quod contra Hebraicam veritatem, et Septuaginta editio-*

(a) *Lettres de quelques Juifs a Mr. de Voltaire Tom. I. Lettre V. et VI.*

(b) Is est *Augustinus Steuchus* Eugubinus.

nem posuerit in translatione sua, Mosis faciem fuisse cornutam. Sic enim Episcopus iste in Annotationibus Exodi scribit: Vox enim ambigua fecit in editione errorem; quamvis etiam sit discrimen inter nomen cornu, et id, quod significat radians; nam cornu vocatur Keren *per duplex segol; at radians* Karan. *Igitur non habetur in contextu Hebraico, faciem Mosis fuisse cornutam, sed radiantem, quod ex verbis ipsis apertissime intelligitur, quae in hunc habent modum:* Et ignorabat Moyses, quod cutis faciei suae esset radians. *Non scribitur igitur, faciem fuisse cornutam, sed cutem radiantem. Ex hoc igitur potest emendari prava vulgi consuetudo, qui duobus cornibus pingunt Mosen; non enim cornua a fronte egrediebantur, sed et frons, et nasus, et os, et mentum radiabant: et mirum, quod Hieronymus, non considerata veritate Hebraica, non animadverterit etiam quid septuaginta transtulissent, qui bene hunc locum verterunt:* καὶ Μωυσῆς οὐκ ᾔδει, ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ: *et Moses ignorabat, quod glorificatus esset aspectus cutis faciei suae* (a). *Rident itaque nos, et execrantur Judaei quoties Mosen in nostris templis cornuta facie depictum adspiciunt, quasi nos eum diabolum quemdam, ut ipsi stulte interpretantur, esse putemus. Ex hoc editionis septuaginta loco cognoscitur, antiquam illam editionem, qua ante Hieronymum utebatur Ecclesia, fuisse ipsorum septuaginta, nam in officio Transfigurationis Salvatoris canitur:* Glorificata est facies Moysi, *quod ex editione septuaginta sumtum est, qua Latini utebantur, unde et antiphonas sumebant.* Cum igitur Hebraica vox קרן, mutatis vocalibus, legi possit *Keren* cornu, et *Karan* splendor; *Hieronymus* pro splendida facie cornutam posuit. Possumus tamen virum doctissimum a Chisamensis Episcopi reprehensionem defendere. Sicut enim Hebraica vox et cornu et splendorem significare potest; ita etiam Latina vox *cornu* non solum animalium

(a) Hanc lectionem Apostolus etiam sequitur 1. *Cor. III. 7. Ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus.* Item Arabica, et Syriaca versio.

cornua significat, verum etiam per metaphoram quidquid prominet, ideoque et radios luminis, qui e facie Moysis emicabant, significare poterat. Nec desunt, qui opinantur, scripsisse *Hieronymum quod corusca esset facies ejus*; imperitiam autem librariorum pro *corusca* cornutam posuisse. Sed haec non ad Sacrae Scripturae veritatem, sed ad *Hieronymi* defensionem pertinent.

Objic. XXXIX. Levit. XIX. 27. Omnibus Israelitis praecipitur: *Non radetis barbam.* Et praecipue de Sacerdotibus praecipitur *Levit. XXI.* 5. *Non redent caput, nec barbam.* Et tamen *Levit. XIV.* 8. et 9. dicitur: *Radet* (homo) *capillos capitis, barbamque, et supercilia.* Et praecipue de Levitis edicitur *Num. VIII.* 7. *Radant omnes pilos carnis suae.* Atqui in his aperta videtur esse contradictio. Ergo.

℟. *Neg. min.* In primo enim, atque altero *Levitici* loco prohibentur Israelitae, praecipue vero Sacerdotes, imitari superstitiosos Gentilium mores in tonsione capillorum, et barbae, praesertim in luctu pro mortuis. Inquit enim *Levit. XIX.* 26. *Non augurabimini, nec observabitis somnia, neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam, et super mortuo non incidetis carnem vestram* etc. Et *Levit. XXI.* 1. *et seqq. Loquere ad Sacerdotes filios Aaron, et dices ad eos: non contaminetur Sacerdos in mortibus civium suorum . . . . Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras.* Quae omnia ad superstitiones amovendas instituta esse ex ipso contextu patet. AEgyptios quippe in luctu passim sibi comam tondere consuevisse, auctor est Herodotus *Lib. IX. Cap.* 14. idemque de aliis Gentilibus tum ex profanis, tum ex sacris Scriptoribus constat. Pari ratione demonstrare possemus, omnem hunc ritum comam barbamque tondendi, qui hic a Moyse prohibetur, apud finitimas gentes ex superstitione servatum esse, a qua Deus avertere Israelitas voluit, si nobis omnes populorum illorum vetusti mores perspecti essent. Certe gentes quasdam capillos in rotundum totondisse idem affirmat *Herodotus*, idque in honorem, et cultum Bacchi. Item Jeremias, *Cap. IX. et XXV.* ut gentes quasdam idololatras Israelitis finitimas indicet, eos capillos in orbem tonsos ge-

stasse ait. At contra *Levit. XIV.* modus praescribitur, quo leprosos mundari oportebat, quibus omnes carnis pilos radi erat fortasse ad cutem melius abluendam, et ad sanitatem recuperandam necessarium. In Capite autem *VIII. Numerorum* praecipitur ritus consecrationis Levitarum, quibus ideo omnes carnis pili radi in ipsa consecrationis ceremonia jubentur, ut puritatem, ac terrenarum rerum abdicationem hac ratione testarentur. Longe igitur haec aberant a superstitione, quam *Levit. XIX. et XXI.* prohibuit Dominus.

Objic. XL. Levit. XXII. 25 ait Moyses: *De manu alienigenae non offeretis panes Deo vestro, et quidquid aliud dare voluerit; quia corrupta, et maculata sunt omnia; non suscipietis ea.* Sed paulo ante dixerat: *Homo de domo Israel, et de advenis, qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota solvens, vel sponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini, ut offeratur per vos, masculus immaculatus erit* etc. quibus verbis permittit, ut ab advenis, qui utique alienigenae erant, oblationes accipiantur. Imo constat ex *L. b. II. Machab. III.* 3. et ex *I. Esdrae VI.* ex *Josepho, et Philone, Darium*, et *Meleucum* pecuniam ad sacrificia in templo offerenda suppeditasse, aliaque obtulisse munera, et templi donaria. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Duae enim sunt ad haec, quae contraria videntur, concilianda, interpretum responsiones. Nam *Tostatus, Cajetanus, Estius*, aliique plures opinantur, omnem omnino oblationem sive panis, sive animalium, sive cujuscumque rei, ab alienigenis incircumcisis accipi vetitum esse; non tamen vetitum accipere pecuniam; unde animalia, aliaque ad sacrificandum coëmerentur, atque ita conciliant laudatum locum *Levit. XXII.* 25. cum iis, quae ex Libris *Esdrae* et *Machabaeorum*, nec non ex *Josepho*, et *Philone* objecta sunt. Quod vero paulo ante v. 18. dixerat Moyses de advenis, de iis intelligunt, qui Judaicam circumcisionem, et religionem tamquam Proselyti amplexi erant. Verum alii, nostra quidem sententia, melius inter victimas, quae in holocaustum, quaeque in sacrificium pacificum, aut propitiatorium offerebantur, distinguendum putant,

Digitized by Google

et victimas quidem in holocaustum, si modo omnibus essent ornatae proprietatibus, omnibusque maculis carerent, quae in lege erant definitae, etiam ab alienigenis accipi potuisse docent; propterea quod cum totae in sacrificio cremarentur, nulla erat in earum oblatione communio cum incircumcisis. Pacificas vero et propitiatorias victimas, nullo modo a gentibus incircumcisis accipi licuisse. Cum enim in earum sacrificio pars a Sacerdotibus, pars ab offerentibus comedenda esset, pro varia victimarum ratione, perinde erat eas ab alienigenis incircumcisis accipere, ac cum iis in rebus sacris, quod nefas erat, communicare. Atque ita conciliant ea, quae in versu 18. dicta sunt, cum iis, quae in versu 25. leguntur. Manifeste enim in priori loco de holocaustis loquitur Moyses: *Quidquid*, inquit, *obtulerit in holocaustum Domini*; ideoque verba versus 25. de reliquis hostiis, quae non in holocaustum offerebantur, intelligenda sunt; praesertim cum mentio ibi facta sit panum; qui in sacrificiis pacificis et pro peccato locum habebant; nisi forte ibi *panes propositionis* intelligantur: *De manu*, inquit, *alienigenae non offeretis panes Deo vestro* etc. Quod autem ibi subjungitur: *Et quidquid aliud dare voluerit, quia corrupta, et maculata sunt omnia: non suscipietis ea*: quae verba etiam victimas in holocaustum videntur comprehendere, quae utpote a Gentilibus datae, corruptae, et maculatae censeri debeant, ita ex superioribus explicandum docent, ut nihil a Gentilibus accipi posset, quod non careret defectibus, quos paulo superius legislator a victimis abesse debere praeceperat, quasi diceret: Quae hos defectus habent, nullo modo nec ab alienigenis accipere debetis, quia corrupta, et maculata sunt. Quod et Hebraico textui consentaneum esse *Calmetus* observat; in quo non ex Gentilium offerentium impuritate, sed ex ipso victimarum defectu, earum corruptio, et macula repetitur. *Quoniam*, inquit, *defectus eorum est in ipsis, impuritas eorum in ipsis est, ipsa inservire non poterunt, ut Deum reddant propitium*. Denique quod ex libris *Esdrae*, et *Machabaeorum* objectum est, nihil incommodat, cum non ibi victimae oblatae dicantur ab alienigenis, sed suppeditati sumtus, qui ad Dei cultum neces-

sarii erant, quod nulla lege vetitum erat, imo ad Dei gloriam etiam apud alienigenas augendam non parum conducebat. Quamlibet ex his duabus sequaris responsionibus, apparentem Scripturae contradictionem satis explicabis.

Objic. XLI. In historia *Balaami Num. XXII.* praeter asinae locutionem, de qua supra diximus, plura videntur absurda esse, ac repugnantia; 1. enim habitasse dicitur *super flumen terrae filiorum Ammon*, cum tamen *Deuteron. XXIII.* 4. accitus esse dicatur *de Mesopotamia Syriae*; 2.° vocatur *Ariolus*, hoc est magicis artibus instructus, ideoque a *Balac* Rege Moabitarum evocatus esse dicitur, ut malediceret, dirisque devoveret Israelitas, quorum adventum pertimescebat; et tamen ille tamquam verus Dei propheta Dominum consuluit, utrum ire ad regem deberet; acceptoque responso, nullis muneribus flecti potuit, ut contra Dei voluntatem proficisceretur; 3.° cum secundo a regiis legatis invitatus esset, iterumque Dominum consuluisset, Deus ei permisisse dicitur, ut abiret; et tamen in itinere obvius fit ei Angelus, evaginato gladio, *quia perversa est*, inquit, *via tua*, *mihique contraria*: roganti autem *Balaamo*, utrum revertendum sibi esset, praecipit Angelus ut iter prosequeretur. Quare igitur impediebat? et quomodo ejus via perversa erat? 4.° cum ad *Balac* pervenisset, ter extruxit aras, immolavitque holocausta fortasse falsis Moabitarum diis, terque Deo jubente, ejusque Spiritu afflatus Israelitis contra Regis *Balac* expectationem benedixit; et tamen pessimum Madianitis suggessit consilium, quo Israelitas ad idololatriam, et fornicationem pellectos pessumdaret. Atqui haec conciliari secum non posse videntur. Ergo.

℟. *Neg. min. ad* 1m. nulla est in originali textu contradictio. Quod enim *Num. XXII.* 8. in Vulgata legitur: *Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor ariolum, qui habitabat super flumen terrae filiorum Ammon*, ita in Hebraeo textu habetur: *Misit ergo nuntios ad Balaam in Pethoram, quae est super flumen terrae filiorum populi sui. Pethora* autem urbs erat Mesopotamiae super Euphratem flumen, ut notat *Ptolemaeus*, *et Eusebius*; ideoque recte dicitur in *Deuteronomio*, *Balaam* e

Mesopotamia evocatus. Imo in hoc ipso Numerorum libro *Cap. XXIII.* 7. ait ipse Balaam : *De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum de montibus orientis.* *Aram* autem fuisse regionem illam, quae Syriam, et Mesopotamiam complectebatur, cujus montes ad orientem sunt Moabitis, omnes norunt. Neque vero id ignorabat *Hieronymus*, qui in *Locis Hebraicis* diserte ait: *Phethura civitas trans Mesopotamiam, unde fuit Balaam ariolus.* Sed quia Hebraicum nomen *Petorah* etiam *appellativo* sensu ariolum, divinum, somniorum interpretem significat, et ex tota sermonis serie constabat, *Balaam* vatem fuisse, maluit hic *Hieronymus* ponere: *ad Balaam ariolum*, quam *ad Balaam in Petorah.* Rursus quod in Hebraeo est *Ben Hammo*, *filiorum populi sui*, Hieronymus legit *Ben-Hammon*, *filiorum Ammon*, vel quia ita habebat codex Hebraicus, quo utebatur, vel quia ita suppleudam putavit, et corrigendum codicem, vel quia etiam terram filiorum Ammon, sive ex Ammonitis descendentium olim usque ad Euphratem protensam fuisse existimavit.

Ad 2m. Utrum *Balaam* magus, an verus Propheta fuerit, magna apud veteres, et recentiores quaestio est. Origenes enim *Hom. XIII. in Num.* Theodoretus *Homil. XXXIX. in Num.* Cyrillus Alex. *Lib. IV. et VI. De adorat. in spiritu*, Ambrosius *Epist. I.* aliique cum diabolicae magiae operam dedisse putant, quamvis praeter ejus expectationem Deus ipse vera quaedam per eum revelaverit, ipsumque vaticinari coëgerit, sicut et Caiphas seclestissimus Pontifex prophetavit *Joan. XI.* 51. Quae quidem sententia non levibus suadetur rationibus ex Scriptura depromtis. Non solum enim ariolus dicitur tum in hoc *Numerorum* loco, tum *Josue XIII.* 22. verum etiam quia sacrificium oblaturus ascendit *ad excelsa Baal*; ideoque falsis numinibus videtur sacrificasse. Acced t quod de eo semper sacrae litterae tamquam de homine nequissimo loquuntur; unde homines seclestissimos Petrus cum *Balaamo* comparat *II. Petr. II.* 15. *qui mercedem iniquitatis amavit*; et Judas eum cum *Cain*, et *Core* conjungit, *Jud.* 11. *Vae illis, quia in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt.* Nihilominus verisimilior

visa *Estio* est contraria sententia eorum, qui *Balaam* verum Dei Prophetam putant, quamvis improbum ac scelestum, cum prophetia, aliaeque gratiae gratis datae etiam in peccatoribus esse possint. Primo enim vocatus a *Balac* non diabolum, sed Dominum consuluit, utrum ire debeat. Deinde erectis aris, oblatoque holocausto, quid sibi dicendum esset, Deum interrogat, ex quo apparet, sacrificium illud vero Deo oblatum esse. Ubique vero semper professus est, non posse aliquid se de verbo Domini immutare, quem saepe Deum suum dicit, quemque Moyses expresse *Jehova* appella. Utramvis ergo sententiam teneas, nulla est in Sacr. Scriptore contradictio. Sive enim *Balaam* magus fuit, prophetavit tamen extraordinarie tunc a Deo motus: sive verus Propheta; saepe tamen pecunia corruptus impie agebat.

Ad 3m. Cum jam prima vice interrogatus Deus *Balaamum* proficisci vetuisset, peccavit ille quidem cum magnitudine munerum pellectus altera vice Dominum consuluit, cujus voluntatem cognoverat Deus ergo eum ire permisit, hoc est dimisit eum secundum desideria cordis sui, addita tamen conditione ne quid faceret, nisi quod ei praecepisset Dominus. Cum tamen ille mala mente, maloque animo profectus esset, ut Regi morem gerens Israëli malediceret, recte ei Angelus in via obstitit, increpavit, minatus est, ursumque praecepit, ne quid praeterquam quod Dominus jussisset, loqueretur. Quod praeceptum ex parte quidem servavit, cum Israëli contra Regis expectationem, et voluntatem benedixit, sed demum pecuniae, donorum cupiditate illectus violavit, cum non Dei flatu, sed ex proprii ingenii malitia, et impietate pessimum Moabitis consilium suggessit. Ex quibus etiam explicatur, quod 4.° loco erat propositum, atque objectum.

Objic. XLII. Ob fornicationem *Zambri* cum muliere Madianitide viginti quatuor millia virorum jussu Moysis occisa sunt *Num.* XXV cum e contrario non reprehendatur *Salmon*, qui *Ruth* Moabitem, nec alii, qui alias ex alienigenis duxerunt uxores. Atqui hoc vel falsum est, vel inhumanum, Deoque indignum. Ergo. Ita *Collinsius*, *Tindal*, *Voltairius* etc.

℟. *Neg. maj.* Neque enim propter unius *Zambri*, sed propter totius ferme populi fornicationem cum Moabitis, et idololatriam, qua initiati sunt *Beelphegor*, ejusque sacrificiis communicarunt, praecepit Dominus *Moysi*, ut congregatis populi principibus, sive judicibus, supplicio reos afficeret. Neque vero ita viginti-quatuor millia eo supplicio mortua sunt, quod nec fuisset injustum, si omnes rei fuissent, sed epidemico morbo, ac pestilenti, quem in tanti sceleris vindictam immisit Dominus in rebellem populum. Cum autem *Zambri* eo ipso tempore, quo Deus populum puniebat, et *Moyses* poenam reorum juxta Dei praeceptum jusserat, inspectante ipso Moyse, et omni populo ad scortum Madianitidem ingressus esset, et *Phinees* zelo Dei motus arrepto pugione, eum interfecisset, placatus est Deus *cessavitque plaga a filiis Israel.* Quod et luculenter explicatur in *Psalmo CV. Et initiati sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum. Et irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina. Et stetit Phinees, et placavit, et cessavit quassatio.* Israëlitae vero, qui postea alienigenas duxerunt uxores, vel ideo non reprehenduntur, quia illae veri Dei religionem amplexae erant, vel reprehenduntur, si veram religionem amplexae non erant.

Objic. XLIII. Post diluvium pauca praecepta Deus *Noë*, filiisque ejus imposuit, quae ad salutem, servata etiam naturali lege, sufficiebant. Frustra ergo Israelitas tot tantisque per *Moysen* oneravit legibus, inter quas multae sunt nulla ratione suffultae, ut tot ritus sacrificiorum, inaugurationis Sacerdotum, abstinentia a tot animalium carnibus etc. quae omnia Dei sapientia videntur indigna. Illud vero indignius, quod Deus immutabilis, qui illa edixerat in perpetuum duratura, mutavit in novo Testamento, ita ut quae in veteri praecepta erant, in novo sint illicita, et vicissim licita, quae in veteri prohibebantur. Ita passim idem arguit *Voltairius*, aliique. Accedit, quod si lex per Moysen lata bona erat, atque utilis ad salutem, mutari deinceps per Evangelium non debuit. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Sufficiebant in iis circumstantiis, in quibus *Noë*, ejusque familia versabatur, *conc.* Sufficie-

bant ad regimen populi innumerabilis, qui in religione veri Dei a ceteris gentibus discernendus erat, *neg.* Noë igitur solus cum familia sua, quae non amplius octo constabat hominibus, iisque veri Dei cultoribus, non erat a ceteris gentibus idololatris discernendus, et separandus, ut erant Israëlitae, qui Moyse duce, inter populos ducebantur falsorum numinum cultores, a quibus eos separari oportebat, cum praesertim ad idololatriam proni essent. Sapientissime igitur praescripsit Deus novos ritus, qui et Gentilium ritibus contrarii, et populi ipsius ingenio apti, simulque figura essent magni illius sacrificii, per quod homines Deo reconciliaturus erat Christus, quem *Adamo* primum, deinde *Abrahae* pollicitus erat Dominus. Atque ideo lex illa licet tunc bona esset, quia figura erat Christi, et Evangelii, adveniente veritate, mutanda erat. Quod autem ait Deus, legem illam duraturam in sempiternum, vel de tempore diuturno intelligendum, ut saepe in Scripturis intelligitur, vel quoad spiritum non quoad litteram, ut *Lib.* IX. *Cap.* 10. diximus. De abstinentia vero ab immundis animalibus, non est cur adversarii litem intendant aut cavillentur. Nonnulla enim prohibita sunt, quia in Palaestinae regionibus sanitati noxia erant, alia vero, quia ad quaedam videntur procliviora, quae in homine vitia sunt, a quibus Deus retrahere populum etiam hac religione voluit; alia denique ob alias religiosas, easque sapientissimas rationes. Hinc videmus, etiam ante latam Mosaicam legem, distinctionem mundorum, atque immundorum animalium, jam inde ab aetate *Noë*, et fortasse multo ante invaluisse *Gen.* VII. 2. ex ipso sensu naturae, qua de re vide Calmet in *Comment.* Vide haec fusius apud laudatum auctorem litterarum ad *Voltairium* (*a*). Vide etiam S. Thomam, 1a. 2ae. *Q.* CI. *et* CII. ubi hac de re latissime disputat, Cornelium a Lapide *in comment.* Natalem Alex. *in IV. Mundi aetat. etc.*

Inst. 1.° *Levit. XI.* 34. Sic Deus praecepisse dicitur:

(a) *Lettres de quelques juifs a Mr. de Voltaire Tom. II. lett.* 2.

omnis cibus si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit; et omne liquens quod bibitur de universo vase immundum erit. Atqui hoc non solum inutile, sed et absurdum est, et contrarium iis, quae paulo ante posita erant: *Vas ligneum, . . . et in quocumque fit opus, tingentur aqua, et sic postea mundabuntur.* Et *Levit. XIII. 58. Lavabit aqua secundo, et munda erunt.* Ergo.

℟. *Neg. min.* Ex ipsa enim sermonis serie intelligitur, non omnem aquam super cibum, aut liquorum fusam immundum facere, sed eam, quae vel ipsa impura esset ac sordida, vel ad aliquid abluendum adhibita, quod immundum esset; quae si in cibum, aut in vas aliquod liquore alio plenum fusa esset, omnem cibum, omnemque liquorem, qui in universo vase continebatur, reddebat immundum. Quid hic absurdi est? Nonne et nos etiam id saepe, nulla lege jubente, servamus?

Inst. 2.° Christus in Evangelio *Matth.* XV. 11. absolute ait: *Non quod intrat in os coinquinat hominem; sed quod prodit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Ergo vanam prorsus, et inutilem declaravit abstinentiam a carnibus immundorum animalium. Quod et Apostolus Paulus ait: *Omnia munda mundis Tit. I.* 15.

℟. *Dist. ant.* Quod intrat in os non coinquinat hominem, idest peccati reum non facit per se, et natura sua, cum omnis creatura Dei bona sit, *conc.* Non coinquinabat propter violationem legis, quae sapienter imposita est rudi populo ad significandam fugam vitiorum, quorum animalia illa quodammodo figura erant, quae in morte Christi abolita est, expletis veteris Testamenti figuris, *neg.* Igitur in veteri Testamento, ut diximus, quarumdam carnium escae vetitae erant, quia sanitati in illis regionibus noxiae, aliae vero quia vitia quaedam significabant, a quibus semper, et ubique abstinendum est. Ejus legis violatio, cum lex vigebat, sine dubio peccatum erat. Sed in novo testamento, abolitis veteris Testamenti figuris, peccatum non est uti quacumque esca, modo sanitati noxia, ideoque jure naturali prohibita non sit, et modo abstineatur a vitiis, quae per escas illas vetitas significabantur. Ita Augustinus *Lib. cont. Adimant.* Alias autem ejusdem generis objectiones contra Mosaicam legem, quae reprobata di-

citur ab Apostolo propter ejus inutilitatem *Lib. IX. Cap.* 10. refutavimus.

Objic. XLIV. Ænigmati simile videtur quod jubet Moyses *Num.* XXVI. 53. *Istis dividetur terra juxta numerum vocabulorum in possessiones suas. Pluribus majorem partem dabis, et paucioribus minorem : singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio : ita dumtaxat, ut sors terram tribubus dividat, et familiis.* Si enim terra dividenda erat pro ratione multitudinis in unaquaque tribu, ita ut in qua tribu major esset capitum numerus, ea majorem terrae partem acciperet; jam nullum sors habere locum poterat. Si vero res erat transigenda sortibus, servari non poterat ratio magnitudinis terrae cum multitudine tribuum. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Nonnulli enim divisionem quidem sorte institutam esse docent, sed sortes ipsas ita Deum miraculo temperasse, ut major tribus majorem partem acciperet; sed hac responsione praetermissa, facile explicatur, quo pacto sine miraculo et sors, et proportio in divisione locum habuerit. Sorte enim definiendum erat, quae regio cuique tribui daretur : quanta autem ejus regionis latitudo esse deberet, ex numero hominum, et fertilitate soli metiendum erat, ita ut si minor tribus latiorem regionem sorte obtinuisset, aut ubertate meliorem, detraheretur inde quod majori tribui daretur, cui augustior regio sorte obtigisset. Hinc *Josue* XVI. 9. notatur tribui Ephraim propter majorem ejus numerum *separatas esse urbes in medio possessionis filiorum Manasse.*

Objic. XLV. Si Moysi credimus oblatae sunt Deo victimae in deserto *Exod.* XXIV. 4. *Num.* VII. *Levit.* VII. IX. *etc.* Atqui Amos *Cap.* V. 25. et Jeremias *Cap.* VII. 22. testantur, Hebraeos non obtulisse Deo sacrificia in deserto, nec Deum id eis praecepisse. Ait enim Amos : *Numquid hostias, et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? Et portastis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quae fecistis vobis.* Et Jeremias: *Non sum locutus cum patribus vestris, et non praecepi eis, in die, qua eduxi eos de terra AEgypti, de verbo holocautomatum, et victimarum.* Ergo. *Ita Tindal*, atque *Voltairius.*

v. *Neg. min.* Amos enim Israelitis exprobrat, quod patres suos imitarentur, qui per annos quadraginta diis alienis *Moloch, Beelphegor*, aliisque sacrificia obtulerant, quod non significat, nullos ex Israelitis vero Deo sacrificia obtulisse, sed identidem rebelles ad idololatriam defecisse, ita ut recte universo populo fieri exprobratio illa potuerit, id quod non solum Mosaicae non adversatur historiae, verum etiam ex illa verum esse confirmatur. Fatemur tamen cum Calmet *Dissert. de idololatr. Isr. in deser.* nec circumcisionem, nec Pascha, nec solemnitates alias semper in deserto fuisse servatas, nec semper servari potuisse, ita ut dixerit Moyses *Deuter. XII.* 8. *Non facietis ibi*, (scilicet in terra promissionis) *quae nos hic facimus hodie singuli quod rectum sibi videtur* : neque hac in parte Amos Moysi contrarius est. *Jeremias* vero satis sententiam suam explicat sequentibus verbis, quae subjungit : *Sed hoc verbum praecepi eis dicens: Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis.* Quibus verbis illud sibi voluit, non in sacrificiis animalium, in quibus solis Hebraei confidebant, constare justitiam, sed praecipue in divinorum obedientia praeceptorum, quod et Oseas *Cap.* VI. 6. aliis verbis explicat dicens: *Misericordiam volo, et non sacrificium.* Male autem ex hoc *Jeremiae* loco Spencerus *Lib. II. De legib. Heb. ritual. Dissert.* 2. et *Marshamius* asseruerunt, Deum Israelitis minime sacrificia praecepisse, sed ut aliquid indulgeret ingenio populi ritibus illis assueti, permisisse tantum, ut in veri Dei cultum verterent, quae a falsis numinum cultoribus sacrificia, et ceremoniae servabantur, ita ut omnia Mosaicorum rituum ratio a Gentilibus petita sit. Quod quidem a veritate longissime abhorrere perspicuum est, non solum ex innumeris Scripturae locis, in quibus sacrificia non permisit, sed praecepit Deus, et quidem contraria Gentilibus, verum etiam ex ipsius *Taciti* testimonio *Lib.* V. *Histor. ubi* haec habet : *Moyses quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus, contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illis omnia, quae apud nos sacra. Rursum concessa apud illos, quae nobis incesta.* Sed haec

fusioris argumentum operis esse possunt. Vide Natalem Alex. *Dissert.* III. in IV. *Mundi aetat.*

Objic. XLVI. Ipse *Moyses*, qui sculpturam quamcumque prohibuerat eorum, quae in caelis, terra, aut subtus terram essent; tamen ingruentibus in populum venenatis serpentibus *Num. XXI.* conflari jussit serpentem aeneum, atque in sublime attolli, quem cum percussi aspicerent, sanabantur. Quod utique inventum ex praestigiis Ægyptiacis desumtum esse velut amuletum, aut *talismanum* Marshamius in *Canone Chronico* ostendere nititur. Ergo, vel ipse sciebat, legem non esse a Deo latam; vel aliquibus in causis impossibilem, ideoque eam sine ulla religione violavit.

℟. *Dist. ant. quoad* 1m. *part.* Prohibuerat quamcumque sculpturam ad cultum ei religionis exhibendum, *conc.* Secus, *neg.* Vide quae diximus in *Appendice Lib.* VI. Serpentem autem aeneum Moyses fieri praecepit ipsius jussu Dei, qui imagines omnes fieri vetuerat; ideoque sciebat, non esse divina lege prohibitum, conflari serpentem, non ut adoraretur, sed in signum, quod Christi fuisse figuram, Christus ipse in Evangelio nos edocet *Joan. III.* 14. Ex quo refutatur profana *Marshamii* opinio, de qua plura Buxtorfius, in *Historia Serp. aen.* Calmet in *Dissertationibus*, aliique scripserunt.

Objic. XLVII. Moyses *Exod. XX.* 5. sic Deum loquentem inducit: *Ego sum dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, et quartam generationem, eorum, qui oderunt me.* Quod edictum *Tindal*, atque *Voltairius* crudele esse volunt, et aperte contrarium iis, quae habet Ezechiel *Cap.* XVIII. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Ergo.

℟. *Dist. ant. quoad.* 1m. *part.* Minatur Deus, se visitaturum iniquitatem patrum in novo Testamento, de quo loquitur *Ezechiel*, *neg.* In veteri Testamento, quod per *Moysen* sancitum est, *subdist.* In filios paternae impietatis aemulatores, *conc.* In eos, qui parentum impietatem non imitantur; et iterum *subdist.* Visitaturum temporalibus aerumnis, quae ipsis in bonum cedunt, *conc.* Secus, *neg.* Quod ergo pertinet ad Mosaicae legis, atque *Ezechielis* oppositionem, cum hic de tem-

pore futuro loquatur; satis ea explicatur, atque dissolvitur, si attendamus, *Ezechielis* prophetiam promissionem novi Testamenti continere, ut saepe docet Augustinus *Enchirid. Cap.* 46. *Epist.* XCVIII. *etc* Quod vero in verbis Mosaicis videbatur asperum, nonnulli Patres ita intelligendum docent, ut minetur Deus, paternorum scelerum poenas etiam filios daturos esse usque ad quartam generationem, si isti paternam nequitiam imitarentur; *quia* scilicet, ut inquit Hieronymus *in Ezech. Lib.* VI. *Cap.* 18. *patrum extiterunt aemulatores, et oderunt Deum hereditario malo.* Quod et confirmant tum ex verbis Exodi: *in tertiam, et quartam generationem, eorum qui oderunt me*; tum ex *Deuteron.* XXV., 16. ubi praecepit Dominus: *ne occidantur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Quae quidem ratio magis Mosaicas minas cum *Ezechielis* promissione conciliat. Sed alii Patres verisimilius, nostra quidem sententia, opinantur, revera Deum propter ejus populi duritiam minatum esse in filiis etiam parentum scelera ulturum. *Duritia enim populi*, inquit Tertullianus *Lib. I. cont. Marcion. Cap.* 15. *talia remedia compulerat, ut vel posteritatibus suis prospicientes legi divinae obedirent*, cum solcant parentes magis filiorum, quam sua calamitate commoveri. Neque vero ea in re injustum aliquid, aut immane minatur Deus, tum quia in suppliciis illis temporalibus, ut advertit Grotius *Lib. II. De J. B. et P. Cap.* 21. supremo, atque absoluto dominatu in hominum vitam, ac bona utitur Deus, ad communem totius populi utilitatem; cui privatorum commodum, et vitam ipsam cedere aequum est; tum quia si filii parentes non imitantur, temporales calamitates commodo ipsis vertuntur, atque utilitati, sin imitantur, non immerito plectuntur.

Objic. XLVIII. *Num.* XXXIII. 31. dicitur, filios Israel de *Moseroth* venisse in *Benejaacan*, et inde in *Gadgad*. Contra vero *Deuteron.* X. 6. ex *Beroth filiorum Jacan* quae eadem est, ac *Benejaacan* venisse in *Mosera*, et inde in *Gadgad*. Ergo.

℟. *Transeat ant.* Non enim apud omnes exploratum est, neque ab omnibus conceditur, eadem loca fuisse *Mosera*, et *Moseroth*, *Benejaacan*, et *Beroth filiorum Jacan*; cum

Corn. a Lapide diversas fuisse regiones contendat. Sed hoc dato, non sequitur contrariam esse *Numerorum* historiam *Deuteronomio*. Cum enim filii Israel quadraginta annis in solitudine vagantes saepe numero stationem mutarent, mirum non est quod prima vice ex *Moseroth* in *Benjaacan* venerint, altera vice ex *Benjaacan Moseroth*.

Objic. XLIX. Deuter. II. 4. accedentibus Israelitis ad Idumaeam promisit Deus: *Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, et timebunt vos.* At contra constat ex *Num.* XX. 14. Idumaeos petentibus Israelitis transitum constanter negavisse, armatosque iis obviam ivisse, *quam ob rem divertit ab eo Israel.* En igitur falsa promissio, atque praedictio.

℟. *Neg. cons.* Negarunt enim Idumaei transitum per mediam terram *Edom*, ut Israelitae petierunt, sed non negarunt, ut transirent per terminos eorum, hoc est eorum terram circumirent, quod promiserat Dominus; sicut revera circumierunt, ut legitur in eodem *Cap. XX. et XX. Numerorum.*

Objic. L. *Deuteron. XXII.* 15. *Si te esus carnium delectaverit, occide, et comede juxta benedictionem Domini Dei tui sive immundum fuerit . . . sive mundum.* Et rursus *in eodem Cap. v.* 17. *Primogenita armentorum, et pecorum . . . coram Domino Deo tuo comedes ea, in loco, quem elegerit Dominus.* Sed utrumque paulo post in eodem Deuteronomio prohibetur: *Deuter.* XIV. 3. *Ne comedatis quae immunda sunt. Deuter.* XV. 19. *De primogenitis, quae nascuntur in armentis, et in ovibus tuis, quidquid fuerit masculini sexus, sanctificabis Domino.* Ergo.

℟. *Neg. min.* Quod enim ad immunda animalia pertinet, intelligendum est, quaedam ex lege immunda esse quoad sacrificium, non tamen quod cibum, ita ut sacrificari quidem ea non liceret, eisdem tamen vesci fas esset; de quibus dicitur *Deuteron. XII.* 15. *Comede sive immundum, sive mundum*; unde recte *Hieronymus* explicationem in Vulgata adjecit: *Sive immundum*, inquit, *fuerit, hoc est maculatum, et debile, sive mundum, hoc est integrum, et sine macula, quod offerri licet.* Quaedam vero etiam quoad cibum immunda censebantur, de quibus dicitur *Deuter.* XIV. *Ne comedatis*

quae immunda sunt. Quod vero ad primogenita pertinet; manifestum est ex *Deuteron. Cap.* XV. 19. ea sola, quae masculini sexus erant, et quidem sine macula, offerenda fuisse et sanctificanda Domino; non vero reliqua, de quibus dicitur *Deuter. XII.* 17. *Primogenita armentorum et pecorum* ... *comedes coram Domino Deo tuo* etc.

Objic. LI. Praeceptum Moysis de *Chananaeis*, *Pherezaeis*, *Hethaeis*, *Amorrhaeis*, *Hevaeis*, *Jebusaeis* internecione delendis, horribile, et juri naturae, et gentium contrarium videtur. *Deuter. XX.* 36. *De his autem civitatibus*, inquit, *quae dabuntur tibi*, *nullam omnino permittas vivere. Sed interficies in ore gladii, Hethaeum videlicet*, *et Amorrhaeum*, *et Chananaeum*, *Pherezaeum*, *et Hevaeum*, *et Jebusaeum*, *sicut praecepit tibi Dominus tuus.* Quod quidem videtur omnia belli, pacisque jura perfringere, cum praesertim gentes illae eas regiones post diluvium vacuas, ac jure naturae aequissimo occupatas, a multis jam saeculis possiderent, nullaque Israelitas injuria provocassent Adde quod tum in hoc *Deuteronomii* loco, tum in *Exodo*, *Exod.* XXIV. 12. vetitum est quodcumque pactum cum earum regionum habitatoribus. *Ne ineas*, inquit, *pactum cum hominibus illarum regionum*; et tamen *Deuteron. XX.* 10. praecipitur, ut si quando civitas aliqua expugnanda sit, primum pax ei offeratur. *Si quando accesseris*, inquit, *ad expugnandam civitatem*, *offeres ei primum pacem*, qua in re aperta est contradictio. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Si Moyses id propria auctoritate Israëlitis praecepisset; *conc.* Si jussu Dei, qui ut supremus rerum dominus, ac moderator, cam scelestissimis illis hominibus poenam infligere justissime decreverat, *neg.* Intelligendum est igitur, Moysen, atque Israëlitas in eo negotio non aliter, quam ut ministros justitiae Dei se gessisse, cujus imperium cum injustum esse non posset, quamvis ejus rationes ignorarentur, nihil aliud ipsis, nisi obedientiae gloria relicta est. Ceterum satis nota erant immania, atque infanda scelera earum gentium, quibus per summam misericordiam multis saeculis pepercerat Deus, poenamque distulerat, quia *nondum completae erant iniquitates Amorrhaeorum Gen.* XV. 16. Post-

quam ergo tot saeculis dedisset Deus misericordiae locum, completis jam, atque inundantibus omnis generis sceleribus, ut relinqui amplius secundum sapientiae divinae, atque justitiae regulas impunita non possent, poterat Deus gentes illas fame, pestilentia, bello, terrae motibus, aliisve modis sine injustitia delere. Maluit tamen bello; qua in re misericordiam simul, et sapientiam ostendit. 1.° Quia hac ratione multi fuga sibi consulere potuissent; sicut revera plurimi fugiendo cladem evaserunt, partimque in finitimas regiones, partim in vicinas Phoeniciae insulas mediterranei maris, partim denique in Italiam venientes, ibi sedes suas fixerunt, ut *Bochartus*, *Mazochius*, aliique observant viri eruditi. 2.° Quia voluit Dominus hoc pacto Hebraeos ipsos, quos justitiae suae ministros adhibebat, commonefacere, ac deterrere, ne gentium illarum mores imitarentur, quas suis ipsorum manibus Dei jussu tam severe castigaverant, ac deleverant. Hinc *Deuter. XII. 29.* ait Dominus: *Cum disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, et possederis eas, atque habitaveris in terra earum, cave, ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subversae.* Quod sapientissimum fuisse consilium, confirmavit eventus. Si enim post tam severam, et cum prodigiis etiam conjunctam Dei vindictam Israëlitae saepenumero gentium illarum mores, instituta, idololatriam, atque omnis generis scelera imitati sunt; quid fecissent, si illae incolumes servatae, et cum iis Israëlitae ipsi amicitia juncti essent? 3.° Quia non eo sensu Dei praeceptum erat intelligendum, ut omnes omnino, nullo discrimine interficerentur, sed illi tantum, qui in peccatis suis obstinati, neque praesenti, ac mirabili Dei manu, atque flagellis perterrefacti, suisque viribus contra Deum praefidentes, arma ferre, neque pacem petere voluissent. Hinc videmus, *Josue* licet deceptum a Gabaonitis, tamen quia jurejurando pacem cum iis inierat, etiam detecta fraude, jussu Dei pacis conditiones servasse, addicendo eos dumtaxat famulatui populi, et altaris, imo iis contra quinque reges auxilium tulisse *Jos. IX. X.* Deumq. ipsum *Saulis* familiam castigasse, eo quod foedus a *Josue* cum Gabaonitis ictum

non servasset II. *Reg.* XXI. Et quidem laudatur in sacris litteris *Josue*, eo quod *non praeteriit de universis mandatis nec unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Moysi Jos.* XI. 15. Hinc intelligimus, illas dumtaxat delendas fuisse gentes, quae induratae clementiam minime merebantur. Unde de iis, quae revera, vel omnino, vel magna ex parte deletae sunt (multos enim evasisse scimus) sic ait Josue *Jos. XI.* 19. *Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israël, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut praeceperat Dominus Moysi.* Vide *Andream Masium* edito in Librum Josue Commentario. *Ad confirm.* ℟. nullam esse inter locum *Exodi*, et *Deuteronomii* repugnantiam et contradictionem, nam in priori sermo est tantum de *Chananaeis*, *Pherezaeis*, *Hethaeis*, *Amorrhaeis*, *Hevaeis*, *Jebusaeis*; in altero vero de civitatibus reliquis, cum quibus bellum aliquando esse posset.

Objic. LII. *Deuter. III.* 11. dicitur: *Solum quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum*; et tamen aliorum gigantum mentio fit *Jos.* XV. 14. *II. Reg.* XXI. 16. *I. Paralip. XX.* 4. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Dicitur enim solus *Og* residuum esse de stirpe Raphaim, sive gigantum, qui dominati fuerant in regione Basan; quod non obstat, quominus alii ex alio genere gigantes fuerint in aliis regionibus.

Objic. LIII. *Deuter.* XXIII. 3. sic edicitur: *Ammonites, et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in aeternum.* Et tamen quasi nulla id lege vetitum esset; *Achior* dux Ammonitarum *Judith.* XIV. 6. *appositus est ad populum Israel, et omnis successio generis ejus.* Item *Ruth* Moabitis *Ruth.* IV. 13. Ergo.

℟. *Neg. ant. quoad 2m. part.* Exceptio enim non destruit, sed firmat legem in reliquis; ut enim advertit S. Thomas 1a. 2ae. *Q.* CV. *art.* 3. quamvis lege vetitum esset Ammonitas et Moabitas in collegium populi recenseri, poterant tamen *in collegium populi admitti dispensarive propter aliquem virtutis actum*: nisi dicere velis cum *Estio*, aliud esse admitti in populum, hoc est in jura civitatis, et religionis societatem, aliud

vero *intrare in Ecclesiam*, quod posterius significat recenseri in populi senatum, unde dicitur *Eccli.* XXXVIII. 37. de variis artificibus: *In Ecclesiam non transilient; super sellam judicis non sedebunt, et testamentum judicii non intelligent.*

Objic. LIV. Moyses permittit ab alienigenis usuras exigere *Deuter. XXIII.* 19. *Non foeneraberis fratri tuo pauperi* . . . *sed alieno.* Atqui usura juri naturali contraria est, et in Evangelio generatim vetita *Luc.* VI. 34. ut omnes sentiunt Catholici Theologi, quidquid Protestantes in Jure naturali explicando commenti sint. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Permitit usuram, quasi licitam jure naturali, *neg.* Quasi poenam adversus eas gentes, cum quibus perpetuum Israëlitis bellum erat, Chananaeis, Philistaeis etc. *subdist.* Ex supremo dominatu, quo Deus res eorum ad Israëlitas transferebant, *conc.* Secus, *neg.* Inquit enim Ambrosius *Lib. De Tobia Cap.* 15. *Cui enim jure inferuntur arma, huic legitime indicuntur usurae* . . . . *Ab eo usuram exige, quem non sit crimen occidere.* Hoc ipsum tamen non sanxit Deus, ut jus belli, sed ad duritiam cordis Israëlitarum, ne a fratribus suis exigerent usuras, pro supremo rerum omnium dominatu, a Gentibus illis, quas punire decreverat, rerum dominium ad Israelitas transferebat, ut non esset injustum usuras ab illis exigere. Ex quo non sequitur, licitum esse, etiam Judaeis, a quocunque alienigena accipere usuras. Cum ergo ex Evangelio omnes homines ut fratres habere debeamus, recte Christus in Evangelio jus naturae explicans, generatim usuram vetat.

Objic. LV. Ait Moyses *Exod.* XIII. 28. Dominum Israëlitis ostendisse mirabiliter viam in deserto. *Dominus*, inquit, *praecedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis: ut dux esset itineris utroque tempore.* Et tamen quasi ejus rei oblitus *Num. X.* 29. *Dixit Moyses Hobab filio Raguel Madianitae cognato suo* . . . . *Noli nos relinquere; tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster.* Quae quidem cohaerere non videntur; si enim Deus ipse per nubem mirabiliter viam indicasset, frustra *Moyses*

hominis ductum, utcumque earum regionum periti requirebat, tantaque contentione flagitabat. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Ostendebat Dominus mirabiliter viam, sed omnia, quae in via occurrere poterant, quaeque humana providentia regi debebant, *conc.* Secus; *neg.* Viam ergo Dominus, qua Israëlitae graderentur, mirabiliter per columnam nubis ostendebat; sed ad ducendam innumerabilem illam populi multitudinem non satis erat cognovisse viam; verum prudentia postulabat, ut cognoscerentur etiam loca pascuis abundantia ad jumenta alenda, item aquarum fontes; praeterea quae circum essent civitates, qui hostes; quae omnia quia humana prudentia, atque adjumentis cognosci et administrari poterant, sapienter Moyses hominem elegit earum regionum peritissimum. Hinc in eodem *Numerorum* loco utrumque legimus, et Moysen rogasse Hobab, ut dux esset itineris, et Dominum ostendisse iter per columnam nubis. Paucis enim interjectis post verba in objectione posita, inquit *Num. X.* 34. *Nubes quoque Domini super eos erat per diem, cum incederent.*

Objic. LVI. *Deuteron.* XXX. 11. ait Moyses: *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie non supra te est, neque procul positum, nec in caelo situm, ut possis dicere: quis nostrum valet ad caelum ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus, atque opere compleamus . . . Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illud.* Atque idem insinuat *Genes.* IV. 7. ubi sic Deum Caino dicentem inducit: *Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.* Contra vero Petrus *Act.* XV. 10. appellat Mosaicam legem *jugum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* Et Apostolus *Rom.* VII. ait per legem nihil aliud consequi hominem, nisi peccati cognitionem, ex qua magis concupiscentia exardescit. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati.* Quomodo igitur ait Moyses, facillimam esse legis observationem, hominemque ita appetitui suo, hoc est concupiscentiae dominari, ut ab ea trahi in malum non possit?

℟. *Neg. cons.* Verbum enim *Genesis et Deuteronomii*, aliaque in aliis Scripturae locis similia, quibus liberum,

hominis significatur arbitrium, non exoludunt Dei gratiam, qua facilis reddatur lex, et voluntas concupiscentiae dominetur, et sine qua magis exardescit occasione legis concupiscentia repugnans legi mentis, et captivans hominem in lege peccati. Sed hominem admonent, non destrui, aut ligari Dei gratia liberum arbitrium, ut *Lib.* VII. diximus. Quo autem sensu *Petrus* legem appellarit jugum quod portari non potuit, *Lib. IX. Cap.* 10. *prop.* 1. explicavimus.

Objic. LVII. *Deuter. XXIII.* 1. ita praecipitur: *Non intrabit Eunuchus in Ecclesiam Domini.* At *Isaiae* LVI. 5. ait Dominus: *Eunuchis, qui tenuerint foedus meum, dabo in domo mea locum.* Et *Act.* VIII. 27. Eunuchus Æthyops Jerosolymam venit adorare Dominum. Non ergo secum ista cohaerent.

℟. *Neg. cons.* Intrare enim in Ecclesiam Domini, ut observat *Calmet*, est aggregari populo Israel, ejusque frui privilegiis, vel etiam ut advertit *Estius* in populi senatum adlegi, quod prohibetur *Deuter. XXIII.* ubi simul interdictum est, ne quis ex Israelitis Eunuchus fieret, neve quis Gentilis Eunuchus Israelitico populo aggregaretur, sed non prohibetur ille veram religionem profiteri, atque in Dei domum, ac templum ingredi. Verba vero *Isaiae* alium praeterea sensum habent; quia prophetiam continent novae legis, in qua multi castitatem profitentes praecipuum in domo Dei locum habituri praedicuntur.

Objic. LVIII. *Deuter.* XVI. 21. Jubet Dominus: *Non plantabis lucum, et omnem arborem juxta altare Domini Dei tui*; quia scilicet haec erat Gentilium superstitio, ut lucos, aut arbores in honorem falsorum numinum plantarent. At Josue *Jos.* XXIV. 26. *Tulit lapidem praegrandem, posuitque eum subter quercum, quae erat in Sanctuario Domini.* Et tamen Josue omnia Dei praecepta servasse dicitur. Non igitur secum ista congruunt.

℟. *Neg. cons.* Quod enim praecipitur *Deuteron.* XVI. hanc habet ex Hebraico textu sententiam: *Nullum lucum conseres de quocumque arborum genere juxta altare Domini Dei tui*; quod non prohibebat tendi tabernaculum juxta arborem aliquam solitariam non de industria consitam, nullique superstitioso cultui destinatam.

Objic. LIX. Lex lata per Moysen dicitur ab Apostolo *ministratio mortis*, *ministratio damnationis* *II. Cor. III.* 7. Lex, quae iram operatur etc. A Deo igitur juberi non potuit.

℟. *Dist. ant.* Dicitur lex ministratio mortis per se ipsa, *neg.* cum dicat idem Apostolus. *Scimus quia bona est lex, si quis ea legitime utatur. Lex quidem bona est, et mandatum bonum, et justum, et sanctum.* Ex occasione, quia scilicet hominum cupiditas nititur in vetitum, nisi gratia adjuvet ad servandam legem, *conc.* Ita rem explicat idem Apostolus *Rom. VII.*

Objic. LX. Moyses animam videtur ponere corpoream. Ait enim *Deuter. XII.* 23. *Hoc solum cave, ne sanguinem comedas: sanguis enim eorum pro anima est, et non debes animam comedere cum carnibus.* Quod non solum rationi naturali repugnat, sed etiam Evangelio, ubi legimus *Matth. X.* 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Et *I. Cor.* XV. 50. *Caro, et sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* 1.° Quia ibi loquitur Moyses de anima pecorum: 2.° Quia sanguis dicitur anima per *metonymiam*, quia praesentem animam demonstrat. 3.° Quia dicitur esse pro anima, eo quod Deo in sacrificium pro hominum anima offerri debebat, ideoque nihil est ibi Evangelio contrarium. Quod autem ait Apostolus: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*, intelligit de carnalibus moribus, et de carne, et sanguine per resurrectionem nondum mutato.

Objic. LXI. Lex Mosaica nullam facit immortalitatis animorum mentionem, solasque continet bonorum temporalium promissiones, ac malorum temporalium minas. Non igitur a Deo esse potuit, qui temporalia ista bona, vel mala spernenda esse, solaque aeterna sperare jubet. Putat autem Clericus, Hebraeos a Chaldaeis dogma immortalitatis animorum in captivitate Babylonica accepisse.

℟. *Trans. ant.* quod falsum esse mox ostendemus; *neg. cons.* Quamvis enim daremus, quod falsum est, legem Mosaicam nullam facere immortalitatis animorum, atque aeternae vitae mentionem, non inde con-

sequens foret, ut lex illa a Deo data non esset, qui sub figura bonorum temporalium, quae rudis populi ingenio apta erant, spiritualia, atque aeterna ostendebat; neque aliud sub figuris illis intelligebant ii, qui veri erant Israelitae, nec litteram occidentem sectabantur, sed spiritum vivificantem, qualis erat *David*, qui bonis omnibus temporalibus enumeratis *Psal. CXLIII.* ait: *Beatum dixerunt populum, cui haec, sunt; beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.* Sed nos nullam fieri in Mosaica lege aeternae vitae, et immortalitatis animorum, mentionem, negamus. Nam 1.° quod ait Moyses *Gen. II.* 7. *Formavit Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem*, ex corporea, ac spirituali substantia constare hominem ostendit, ut *Lib.* V. *part.* 4. diximus, quod et evidentius ostendit Moyses, cum ait, hominem ad imaginem Dei esse factum, Deum autem corpus non habere. 2.° *Gen.* XLIX. 18. ait Jacob jamjam moriturus: *Salutare tuum expectabo Domine.* Quid autem expectaret si cum corpore animus etiam interiret? 3.° Quod ait Dominus, ad Moysen *Exod. III.* 6. *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*, manifeste immortalitatem animorum, aeternamque vitam demonstrat: *non est enim mortuorum Deus, sed viventium*, ut contra Sadducaeos arguens Christus *Matth.* XXII. 32. eorum ita obstruxit ora, ut respondere non potuerint. 4.° Quid est quod ait Moyses dixisse Balaam *Num. XXIII.* 10. *Moriatur anima mea morte justorum*, si nihil est justis post mortem expectandum? 5.° Quod dicitur *Deuter. XXX.* 6. *Circumcidet Dominus cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, ut possis vivere . . . . ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus . . . et vivas* etc. non solum de temporali vita intelligendum esse, verum etiam de aeterna, inde perspicuum est, quod nemo, utcumque Deum diligat, vitam sibi potest augurari perpetuam; ideoque falsa denique esset ea promissio, si de vita dumtaxat temporali intelligeretur. Hinc Christus *Luc.* X. 25. interrogantem legis peritum: *Magister quid faciendo vitam aeternam possidebo?*

eum ad Legem Mosaicam revocat : *In lege*, inquit, *quid scriptum est? quomodo legis?* cumque ille dixisset: *Diliges Dominum Deum tuum* etc. Respondit Christus: *Recte respondisti: hoc fac, et vives.* Quibus verbis ostendit, vitam illam, quam diligentibus Deum lex Mosaica pollicetur, ipsam esse vitam aeternam. Atque haec ex uno Pentateucho. Sed si ceteros veteris Testamenti libros, quos divinos Synagoga censuit, ideoque doctrinam certe non continebant a Pentateucho discrepantem, legamus attentius, manifestam aeternae vitae promissionem perspiciemus. In primis in Libro *Job*, quem a Moyse ipso vel compositum, vel digestum nonnulli putant, non solum vitae aeternae, verum etiam resurrectionis corporum mentio occurrit *Job.* XIX. 25. *Scio*, inquit, *quod Redemtor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum.* Item in reliquis videre est veteris Testamenti libris, qui omnes Legem Mosaicam tamquam fundamentum ponunt, ex quibus Jo. Clerici temeritas, et intemperans rerum novarum studium satis aperte retunditur (*a*).

Cur autem non clarius, et expressius Moyses in lege vitam promiserit aeternam, causae duae sunt; 1.° quia dogma de immortalitate animorum, et de praemiis, ac poenis alterius vitae, jam cunctis populis notum, ut ex veterum Gentilium scriptis perspicuum est, multo magis Israëlitis et ex naturali ratione, et ex recenti traditione constabat, nec de eo ulla apud ipsos dubitatio esse poterat; 2.° quia populus ille ad falsorum numinum cultum projectus, falsoque putans ab illis temporalia bona, vel mala esse expectanda, edocendus imprimis erat, etiam bona ista, quae inhiabat, nonnisi a Deo esse, qui ut supremus rerum omnium creator, moderator, ac Dominus per summam sapientiam, ac providentiam illa distribuit; perque ipsorum promissionem rudem populum sibi devincire voluit, ut uni vero Deo inhaerere assuesceret. Ad rem Augustinus *Lib. X. De Civ. Cap.* 14. *Sicut autem*, inquit, *unius hominis, ita humani generis, quod ad Dei populum pertinet, recta eruditio per quosdam articulos temporum, tam-*

(a) V. Du-Clot *in cap.* I. *Genes.*

quam aetatum profecit accessibus, ut a temporalibus ad aeterna capienda, et a visibilibus ad invisibilia surgeretur, ita sane, ut etiam illo tempore, quo visibilia promittebantur divinitus praemia, unus tamen colendus commendaretur Deus, ne mens humana vel pro ipsis terrenis vitae transitoriae beneficiis cuiquam, nisi vero animae Creatori, ac Domino subderetur. Omnia quippe, quae praestare hominibus vel Angeli, vel homines possunt, in unius esse Omnipotentis potestate, quisquis diffitetur, insanit. Optime igitur anima humana adhuc terrenis desideriis infirma, ea ipsa, quae temporaliter exoptat bona infirma, atque terrena vitae huic transitoriae necessaria, et prae illius vitae sempiternis beneficiis contemnenda, non tamen nisi ab uno Deo expectare consuescit, ut ab illius cultu etiam in istorum desiderio non recedat, ad quem contemtu eorum, et ab eis aversione perveniat.

Objic. LXII. Scribit Moyses *Num.* XXXI. Israelitas caesis Madianitis invenisse in castris 675000. ovium capita; bovum 71000, asinorum 61000, et puellarum 32000. Atqui incredibile est, haec inveniri potuisse etiam in tota Madianitarum regione, quae vix viginti circiter habebat longitudinis milliaria, totidemque latitudinis. Ergo etc. Ita *Voltairius.*

℟. *Neg. maj.* Mentitur enim pro more suo *Voltairius*, cum ait, scripsisse Moysem, haec fuisse in castris Madianitarum inventa; cum e contrario scribat loco in objectione laudato, Israelitas post victoriam per universam Madianitidem regionem dispersos, eam depopulatos esse, ac recensita praeda, inventum esse eum numerum ovium, bovum etc. qui quidem capitum numerus in fertili praesertim regione non modo incredibilis non est, sed satis congruens, imo et modicus, etsi regioni illi eam latitudinem, ac longitudinem demus, quam gratis fingit auctor, vel non satis accurate metitur.

Objic. LXIII. Semper in Pentateucho Palaestina regio describitur, ut terra lacte, ac melle manans, omnium rerum feracissima, quam Deus utpote omnium regionum optimam Abrahae, ejusque posteris promiserat. Atqui constat, terram illam sterilem esse, multasque illam regiones fertilitate, atque amoenitate vincere, ut

advertit *Voltairius*. Ferunt, *Fridericum II.* Imperatorem, cum in Palaestinam appulit, miratum esse, cur in tantum ea tellus in Scripturis fuerit celebrata, cum meliores illa essent Apuliae regiones. Ergo.

℟. *Dist. min.* Sterilis est Palaestina omnibus in locis, *neg.* In nonnullis, *subdist.* Ex paucitate, et incuria incolarum, *conc.* Per se ipsa, *neg.* Itaque fertilitatem Palaestinae non solum sacrae litterae, sed profani etiam Scriptores testati sunt, ut *Hecataeus* apud Josephum *Lib. I. cont. Appion. Plinius*, *Solinus*, *Tacitus*, *Ammianus Marcellinus*, quorum testimonia collegit *Bulletus*. *Hieronymus* etiam multis annis in Palaestina commoratus ejus fertilitatem super alias regiones extollit, *Comment. in Isai.* Quod si hodie nonnullis in locis, praesertim montanis, videtur sterilis, non ex soli natura repetendum est, sed ex raritate, et incuria incolarum, ut viri eruditi testantur, qui regionem illam diu, atque attente perlustrarunt. Vallemontius, Petrus de Valle, Eugenius Rogerius, Maundrellius, Thevenotius, Morisonus, Shawius, aliique viatores, et Philosophi. Adde varios naturae motus, eluviones, terraemotus, casusque alios, qui magnas aliquando vastitates intulerunt, unde ille ait: *Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas*. Ceterum quod de *Friderico II.* ajunt, non est adeo certum, non fuisse id contra eum excogitatum, ut eum redderent magis Christianis invisum, quasi Scripturas, Deumque ipsum contemnere, atque irridere voluerit. Sed quidquid ejus rei fuerit, non ille totam Palestinae terram lustraverat, sed vix loca quaedam mari proximiora, quo cum exercitu appulerat.

Objic. LXIV. *Exod.* XXXIV. 1. Ait Dominus Moysi: *Praecide tibi duas tabulas instar priorum, et scribam super eas verba, quae habuerunt tabulae, quas fregisti.* Et tamen inferius *v.* 27. ait Dominus: *Scribe verba haec . . . et scripsit in tabulis verba foederis decem*; ita ut non Deus, sed *Moyses* ipse scripserit, quae Deus se scripturum praedixerat, qua in re manifesta contradictio est. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Ait Dominus: *scribe verba haec*, idest reliquos sermones Domini, *quibus*, inquit, *et tecum, et cum Israël pepigi foedus*, *conc.* Scribe ipsa verba foe-

deris decem, quae in prioribus tabulis scriptae fuerant, *neg*. Haec enim Deum ipsum per miraculum tabulis lapideis impressisse, ipse Moyses ait *Deuteron.* X. 4. ac proinde verba illa: *Scripsit in tabulis verba foederis decem*, non ad Moysen, sed ad Deum referenda sunt, licet in sermonis serie Dei nomen remotius sit, quod non est ab ingenio Hebraicae linguae alienum. Ita *Estius*, et *Corn. a Lapide*; licet *Augustinus Quaest.* CLXXXVI. *in Exod.* fateatur, non Deum, sed *Moysen* scripsisse in secundis tabulis verba decem, quae Deus ipse in prioribus scripserat; nec contradictionem afferre quod ait in principio Capitis: *Scribam super eas verba*, cum saepe in Scripturis id facere dicatur Deus, quod ut faciamus facit.

Objic. LXV. Num. XIV. 22. Murmuratione populi indignatus Deus juravit, neminem ex numeratis ab anno vicesimo, et supra, terram promissam ingressurum esse, sed omnes in deserto morituros, exceptis *Josue*, et *Caleb*. Atqui in libro Josue *Jos. XIV. Eleazarus* terram illam ingressus est, divisitque cum *Josue*; aliique etiam commemorantur, qui plusquam viginti aetatis annos habuerant, cum illa Deus minatus erat. Sed et alia in eodem Numerorum loco videtur esse contradictio. Dominus enim precibus Moysis exoratus, dimittere se ait peccatum populi: *Dimisi*, inquit, *juxta verbum tuum*; et tamen tot hominum millia morte damnavit. Haeccine misericordia, et dimissio est? Ergo.

℟. Nonnulli quidem respondent, Dei sententiam, ac minas spectasse dumtaxat numeratos bellatores, cujusmodi non erant *Eleazarus*, aliique supra quinquagesimum aetatis annum. Sed verisimilior *Calmeti* responsio est, Dei indignationem adversus eos tantummodo, qui peccaverant, exarsisse; ait enim: *Omnes homines, qui viderunt majestatem meam, et signa, quae feci in AEgypto, et in solitudine, et tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meae, non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam . . . . . . omnes, qui numerati estis a viginti annis, et supra, et murmurastis contra me, non intrabitis terram.* Quamvis autem scribat Moyses, omnem populum murmurasse

non esse tamen credibile, inter sexcenta millia virorum, nullum fuisse a peccato immunem, cum saepe in sacris litteris universo populo tribuatur, quod a maxima parte peccatum est. *Josue* autem, et *Caleb* praecipue, ac nominatim excepti sunt, quia ipsi inter duodecim exploratores a Moyse missos magni animi robore populi seditionem compescere conati sunt, ac Dei potentiam praedicare non omiserunt. Altera vero, quae objiciebatur contradictio, ex ipsa totius Capitis lectione dissolvitur. Dominus enim Israëlitarum murmuratione indignatus omnem omnino populum, uno Moyse excepto, delere minatus erat. Oratione autem Moysis placatus non omnem populum, sed eos tantum, qui murmurati erant, et toties Deo rebelles extiterant, non illico quidem, ut merebantur, occidit, sed a terra promissa, quam ipsi spreverant, per annos quadraginta prohibuit; ita ut in deserto, ubi perire optaverant, paulatim morerentur. Quid hoc justius? quid mitius? quid sapientius?

Objic. LXVI. *Josue VII.* propter peccatum *Achan*, qui aliquid de praeda Hierichuntina suffuratus erat, primo quidem exercitus Israël a civibus *Hai* fusus, fugatusque esse dicitur. Deinde cum eam ob causam consternatus *Josue* Deum deprecaretur, respondit Dominus, id accidisse proptera quod de anathemate, hoc est de rebus Hierichuntinis, quae anathemate devotae fuerant, aliquis furatus esset. Quaesitus ergo per sortes, et inventus *Achan*, cum crimen confessus esset, lapidatus est ipse, et filii ejus, et filiae, boves, asini, oves, ac deinde omnes combusti cum ipso ejus tabernaculo, et supellectili universa atque ita *aversus est furor Domini ab eis.* Atqui hoc a bonitate, et sapientia, et justitia Dei valde videtur abhorrere. Quid enim peccaverant alii Israëlitae ejus criminis inscii, ut eam ob caussam ab hostibus caederentur? Quid filii, quid filiae, inter quos infantes etiam esse poterant, et de quibus ipse Dominus in Deuteronomio praeceperat *Deuteron. XXIV.* 26. *Non occidentur filii pro parentibus*? Quid boves, quid asini, denique quid oves? Ergo.

℟. *Neg. min.* Quod anathemate devovebatur, id quodammodo erat Deo consecratum in holocaustum; ita

ut inde aliquid surripere sacrilegium esset; unde ait Dominus *Deuteronom. XIII.* 17. *Non adhaerebit de illo anathemate quidquam in manu tua.* Quod igitur *Achan* graviter contra legem peccaverit, explorata res est. Licet autem ejus peccati conscii ceteri non essent, qui fuerunt a civibus *Hai* fusi, fugatique, non tamen omnino a quocumque alio peccato immunes putandi sunt, quod peccatum ea occasione puniens Deus, occultum etiam *Achan* delictum manifestum facere voluit; ut ita fugatus exercitus (ex quo tamen triginta sex tantum occisi sunt) causam quaereret irae Dei, crimenque occultissimum miraculo detegeret. De filiis vero, et filiabus *Achan*, vide quae diximus ad *Object. XLVII.* praesertim cum impossibile fuerit ejus familiam esse innoxiam. Cum enim *Achan* in ipso tabernaculo suo argentum, et aurum defossum humi occultaverit, non poterant id ignorare filii; ideoque jam paterni criminis conscientia tenebantur. Boves vero, asini, oves, totaque supellex absumta est, ad terrorem ceteris incutiendum, ne quis in posterum similia peccaret. Vide Augustinum *Quaest.* VIII. *in Jos.* et Andream Masium *in Comment.* Verba denique illa *Deuteron. XXIV.* 16. *Non occidentur filii pro parentibus* ad homines judices, et magistratus pertinent, non ad Deum ipsum, cujus judicia saepe rationibus fuituntur, quae nobis ignotae sunt; imo intellectus nostri captum superant.

Quae de humanis victimis, ac de voto *Jephte* objiciunt *Lib. IX. Cap.* 10. dissolvimus.

Objic. LXVII. Historia expeditionis *Josue* contra Amorrhaeos Reges pro Gabaonitis *Jos.* X. fabulis videtur referta. Primo enim dicitur, e caelo decidisse saxorum pluviam, quae fugientes hostes ingenti clade prostravit. Deinde, jubente *Josue*, stetisse Solem, et Lunam in medio caeli, spatio unius diei, ne superveniens nox plenam, completamque *Josue* victoriam interciperet, aut moraretur. Quod quidem utrumque videtur fabulosum. Pluvia enim saxorum non absimilis videtur prodigiis illis, quae frequenter apud *Livium* occurrunt, cum narratur, pluisse carne, sanguine, lateribus coctis; quae nemo non videt, fabellas fuisse apud vulgus nimis cre-

dulum, atque imperitum sparsas; ideoque nonnulli, ut historiam *Josue* credibilem facerent, docuerunt, non saxa, sed grandinem mirae magnitudinis e caelo decidisse, ut post Josephum *Lib. II. Antiq. Cap.* 5. censent *Tostatus*, *Dionysius Carthusianus*, *Menochius*, *Tirinus*, *Salianus*, *Vatablus*, *Clericus*, aliique. Solem vero, et Lunam, in medio caeli stetisse, prorsus incredibile videtur et adeo contrarium omnibus naturae legibus, ut si id accidisset, quodcumque astronomicum systema profiteamur, sive Ptolemaicum, sive Copernicanum, sive Cartesianum, sive Newtonianum, omnis natura rerum, atque universa mundi moles perturbata foret. Atque id cui tandem bono? Ut Israëlitae plenam referrent victoriam? Non poterat ergo Deus minori temporis spatio hostes perdere? cum praesertim si tam longo tempore Sol supra orizontem moratus esset, nec ipsi Israëlitae aestum ferre potuissent, nec tamdiu hostes insequi, nulla requie, nullo accepto cibo, quo fatigati famem sustinerent. Hinc multi non solum Judaei, verum etiam Christiani, eam rem emollire studuerunt. *R. Levi Ben-Gerson* putat, Solem non omnino stetisse, sed aliquantulum retardasse motum. *R. Maimonides in more Nevochim Par. II. Cap.* 35. nihil Solem, aut Lunam de cursu suo minuisse putat, sed Deum tam celerem dedisse Israëlitis victoriam, ac si longior fuisset dies: quam sententiam *Vatablus*, *Grotius*, *Clericus* amplectuntur. Spinoza *Tract. Theol. Polit. Cap.* 2. et Isaacus Pereyra *Lib IV. Cap.* 6. refractiones solarium radiorum, et *Parhelia* comminiscuntur. Quae omnia cum verbis *Josue* non cohaerent. Ergo etc. Similis objectio fit de reditu solaris umbrae in horologio Regis *Achaz*, quae legitur IV. *Reg.* XX. imo hoc alterum longe videtur incredibilius.

℟. *Neg. ant.* Quod enim ajunt de lapidum pluvia, si *Josephi*, *Tostati*, *Vatabli*, aliorumque sententiam sequeremur, quam quidem adversarii non possunt evidenter falsam evincere, jam satis eorum refutatum esset, et exsufflatum argumentum; sed necesse non est ad eam confugere opinionem, cum ex naturali historia saepe lapidum grandinem e caelo decidisse, perspicuum sit non solum ex *Livio*, quem fatentur saepe fabulas historiae mi-

scuisse (non quia ipse illas fuisse veras arbitraretur, sed quia vere in vulgus sparsae fuerunt; idque fecit, ut veterum Romanorum ingenia ad vivum exprimeret), sed ex aliis etiam recentioribus Philosophis. Utrum autem lapides illi ex ignivomis montibus in immensam altitudinem explosi a ventis validioribus in remotas regiones dejecti sint, an ex terrae exhalationibus in aëre concretis, disputandum Physicis relinquimus. Id tamen certum est, quod si tales pluviae ex naturalibus causis aliquando oriri potuerunt, multo magis tunc a Deo immitti praeter naturae ordinem.

Quod vero pertinet ad Solis, Lunaeque stationem., vel id Deo impossibile fuisse autumant adversarii, vel quamvis possibile fateantur, factum tamen esse negant. Si primum affirmant, manifeste insaniunt, cum nulla caussa sit quamobrem Deus, qui mundum ex nihilo condidit, eique eum motum indidit, quo cietur, non possit paulisper Solis, Lunaeque cursum cohibere sine totius mundi machinae conquassatione, ac ruina, quodcumque fingatur astronomiae systema. Sin alterum contendunt; profecto ut negent factum a Scriptore coaevo, qui rebus interfuit, memoriae proditum, viventibus iis, coram quibus acciderat, et perpetua traditione apud eorum nepotes servatum, ut ex aliis Scripturarum libris patet; talia opponere argumenta adversarii deberent, ut sacra historia evidenter rationi contraria revincatur. Quod neque hucusque fecerunt, nec facere umquam poterunt, cum omnia veterum monumenta longe sint *Josue* recentiora. Nullius autem momenti est quod dictitant, potuisse Deum alia ratione victoriam compendio perficere. Numquid enim consiliarii Dei sunt? Certe ad veri Dei cognitionem, et cultum jam toto fere orbe abolitum, atque apud ipsos Israëlitas labantem, maluit Deus tam stupendo prodigio rem geri, ne aut Hebraei suis viribus victoriam tribuerent, aut hostes putarent a naturalibus causis, et non a Deo suorum scelerum vindice, tantam calamitatem, et cladem fuisse profectam. Denique quod adjiciunt, aestum Solis, et continentem laborem, ac famem Israëlitas ipsos ferre non potuisse, ineptum est; cum soleant in ejusmodi causis imperatores fessis militibus recentes summittere, quod et a *Cae-*

sare post Pharsalicam pugnam factum esse, memoriae proditum est; ita ut continenti labore, novisque summissis copiis, omnes omnino *Pompeji* legiones aut deletae, aut ad deditionem coactae fuerint. Mitto, quod poterat Deus, qui cursum Solis suspenderat, novas vires Hebraeis sufficere. Non ergo ad defendendam Sacrae Historiae veritatem necesse est, ut ad *R. Maimonidis*, *Grotii*, *Clerici* sententiam confugiamus, qui tamen non negant historiam, ut adversarii faciunt, sed aliter esse intelligendam putant. Profanorum vero hominum *Spinozae*, atque *Perryrae* nihil moramur, sed contemnimus auctoritatem. Vide *Calmeti*, et *Natalis Alexandri* Dissertationes de statione Solis imperio *Josue*. Quod vero dicunt esse incredibilius, umbram Solis in horologio *Achaz*, sive *Ezechiae* regressam esse decem gradibus ponit id quidem ut certum, Solem ipsum in caelo decem gradibus esse regressum. Sed quamvis ita major Patrum pars, et Theologorum sentiat; non est tamen fidei dogma, nec apud omnes catholicos receptum, cum non solum *Grotius*, *Vossius*, aliique heterodoxi, sed et inter Catholicos *Vatablus*, *Arias Montanus*, *Lucas Burgensis*, *Gaspar Sanctius*, aliique opinentur, umbram tantum stili in horologio illo fuisse per miraculum retrorsum actam, vel per radiorum solarium refractionem, vel alia nobis ignota ratione; ceterum Solem in cursu suo perseverasse. Neque refert, inquiunt, quod in aliis Scripturae locis *Isai.* XXXVIII. 8. et *Eccli.* XLVIII. 26. dicatur rediisse Sol, cum per metonymiam ipsa Solis lux sol appellari consueverit. Verum quamvis concedamus, ipsum tunc retrorsum actum esse Solem, quam sententiam *Calmet* in peculiari Dissertatione defendit, eadem erit responsio, quae de statione Solis ex imperio *Josue*.

Objic. LXVIII. *Josue X* 42. inquit Auctor: *Universos reges et regiones eorum uno impetu cepit* (Josue) *atque vastavit.* Et tamen ex ipsa ejus Capitis lectione, non uno impetu, sed pluribus diebus rem gestam esse, perspicuum est. Imo in sequenti Capite *XI.* 18. aperte legitur: *Multo tempore pugnavit Josue contra Reges istos.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Quod enim ait: *uno impetu*, non si-

gnificat, id gestum esse momento uno, vel hora, vel die; sed una expeditione, quae pluribus diebus fieri debuit. Quod autem dicitur in sequenti capite, multo tempore pugnasse *Josue* contra Reges illos non de iisdem illis regibus dictum est, quos uno impetu captos in capite superiori dictum erat, sed de aliis, qui prioribus victis, atque deletis, et ipsi fortunam armis experiri voluerunt, quos multo tempore pugnans *Josue* devicit.

Objic. **LXIX.** *Josue X.* 36. *Ascendit quoque* (Josue) *cum omni Israël de Eglon in Hebron, et pugnavit contra eam, cepit eum, et percussit in ore gladii, regem quoque ejus, et omnia oppida regionis illius, universasque animas, quae in ea fuerant commoratae: non reliquit in ea ullas reliquias . . . Inde reversus in Dabir, cepit eam, atque vastavit, regem quoque ejus, atque omnia per circuitum oppida percussit in ore gladii: non dimisit in ea ullas reliquias.* Additur vero *Cap. XI.* 21. *In illo tempore venit Josue, et interfecit Enacim de montanis Hebron, et Dabir, et Anab, et de omni monte Juda, et Israel, urbesque eorum delevit. Non reliquit ullam de stirpe Enacim in terra filiorum Israël.* Ecce jam a *Josue* captam *Hebron*, et *Dabir*, omnes corum regionum incolas interfectos, filios vero *Enacim* omnino in omni terra filiorum Israël deletos. Vide nunc *Josue XV.* 13. quid postea acciderit, Josue jam senio confecto, imo vero mortuo (ut constat ex *Judic. I.* 1.) *Cariath Arbe patris Enac, ipsa est Hebron. Delevitque ex ea Caleb tres filios Enac Sesai, et Ahiman, et Tholmai de stirpe Enac. Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quae prius vocabatur Cariath-Sepher, idest civitas litterarum . . . . Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb junior.* Si ergo haec sene, vel mortuo *Josue* facta sunt, falsum videtur, *Josue* cepisse *Hebron*, et *Dabir*, omnesque ibi homines; praesertim vero *Enacim* delevisse, ita ut ex eorum stirpe remanserit nemo in omnibus finibus Israël.

℟. *Neg. cons.* Quod enim attinet ad *Hebron*, et *Dabir* a *Josue* captas; numquid novum est, ut captae urbes, si nullum ibi praesidium relinquatur, iterum ab hostibus occupentur? Cum ergo *Josue* castra Israël po-

fuisset in *Galgala*, ut dicitur *Josue X.* 43. *Reversusque est cum omni Israel ad locum castrorum in Galgala*, aliisque etiam bellis distractus, nullum, vel non satis validum in *Hebron*, et *Dabir* praesidium reliquisset, iterum urbes illae ab hostibus occupatae sunt; cumque essent in montanis, ideoque loci natura satis firmae, iterum expugnari debuerunt: quod a *Caleb* factum est, Josue mortuo *Judic. I.* Quod vero attinet ad filios *Enac* sive *Enacim* giganteae staturae homines, legitur quidem *Josue XI.* 22. *Non reliquit* (Josue) *ullum de stirpe Enacim in terra filiorum Israel*; sed mox additur: *absque civitatibus Gaza, et Geth, et Azoto, in quibus solis relicti sunt.* Ex iis ergo civitatibus, in quibus *Enacim* relicti fuerant, redierunt in *Hebron*, et *Dabir* ii, qui a *Caleb* postea interfecti sunt. Vide *Andream Masium*, *Serarium*, *Calmet*, aliosque.

Objic. LXX. *Josue XXI.* 36. Describens Auctor urbes, quae ex singulis tribubus, filiis Levi datae sunt, ait: *De tribu Ruben ultra Jordanem civitates refugii Bosor in solitudine, Misor, et Iafet, et Iethson, et Maphaat, civitates quatuor cum suburbanis suis.* Atqui hic aperta videtur Scriptoris oscitantia: 1.° enim quinque civitates nominat, et tamen ait esse quatuor: 2.° has dicit esse civitates refugii, cum dixerit *Cap. XX.* 8. unam *Bosor* civitatem esse refugii in tribu *Ruben* constitutam. Ergo.

℟. *Neg. min.* Quis enim vel stupidissimus Scriptor in eodem versu quinque nominans urbes, quatuor tamen esse dixerit, et in eodem libro nunc unam, nunc, paucis interjectis, quatuor esse dixerit civitates refugii? Quisquis igitur sanae mentis lector intelligit, aliquod in textum *Josue XX.* 36. irrepsisse vitium; quod viri doctissimi collatis tum originali textu, tum latinis exemplaribus manu scriptis, observarunt. Nam 1. quod ibi legitur interjecto commate *Bosor in solitudine, Misor etc.* sine illo commate, sive virgula ita legendum est: *Bosor in solitudine Misor*; ita ut *Misor* non aliam urbem significet, sed locum, ubi *Bosor* aedificata est; atque ita non quinque sed quatuor civitates inveniuntur. 2.° Quod dicitur *civitates refugii* in singulari numero legendum est: *civitatem refugii Bosor*, quae lectio omnem omnino contradictionis difficultatem solvit. Vide Lucae Brugensis

notationes in Cap. XXI. et Calmet *in Comment.*

Objic. LXXI. *Judic. I.* 8. *Oppugnantes filii Juda Jerusalem ceperunt eam, et percusserunt in ore gladii tradentes cunctam incendio civitatem.* In Libro autem Josue *Cap. XII.* 10. satis innui videtur, Jerusalem jam ante a Josue captam, cum inter devictos reges, quorum regna ille subegerat, et Israëlitis attribuerat, numeretur etiam *Rex Jerusalem unus.* Contra vero *Lib. II. Reg. Cap. V.* legimus, David primum venisse Jerusalem, atque inde non sine magno conatu expulisse *Jebusaeum habitatorem terrae.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Quamvis enim inter Reges a *Josue* victos, Rex etiam Jerusalem recenseatur, non tamen perspicue dicitur, captam etiam ab eo esse Jerusalem. Sed licet id concedamus, potuit urbs illa denuo ab hostibus occupari, atque ita, mortuo *Josue*, a filiis Juda recipi, vastari, atque incendi. Sed capta urbe, arcem tamen quae in summitate montis Sion ipsa loci natura munita erat capere non potuerunt, quam arcem usque ad initia regni *Davidis* Jebusaei tenuerunt, quos tandem *David* ipse vicit, eaque de causa arx Sion *civitas David* appellata est. Quod quidem ex ipso Libro *Judicum Cap. I.* manifestum est. *Jebusaeum autem*, inquit, *habitatorem Jerusalem non deleverunt filii Beniamin, habitavitque Jebusaeus cum filiis Beniamin usque ad praesentem diem.*

Objic. LXXII. *Judic. IV.* 17. *Erat pax inter Jabin regem Azor, et domum Haber Cinaei.* Cum igitur *Sisara* dux exercitus *Jabin* a *Debora*, et *Barac* pulsus cum universo exercitu esset: fugiens ipse Sisara pervenit ad tentorium *Jahel* uxoris *Haber Cinaei*, a qua amice exceptus, et absconditus in tabernaculo, cum somno correptus esset, interfectus est, qua in re *Jahel* et foederis, et hospitalitatis jura violavit. Et tamen summis laudibus extollitur *Judic. V.* 24. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Factum enim *Jahel* multi defendunt, eo quod Spiritu Dei impulsa facinus illud aggressa sit. Quippe *Jabin*, et *Sisara* contra populum Dei pugnantes, tamquam Dei hostes a *Jahele* habebantur, quibus servandae non essent conditiones pacis in eo bello, quod inique adversus Hebraeos gerebant, quibus Cinaei con-

juncti erant. *Verum*, inquit Calmetus, *quamquam jure virtus, ac animus Jahel commendetur, recta ipsius celebrando consilia; non ideo illud est dissimulandum, quod culpa vacare minime videtur in aliquibus facti sui circumstantiis; fatendum quidem est, ipsam fuisse mentitam, atque egisse adversus bonam fidem, quae belli etiam adversus hostes est servanda* (Vide Ambros. *Lib. II. de Offic.* Augustin. *Epist. I. ad Bonif.* Grot. *Lib. III. De jure Bell. et pac. cap.* 29.) *invitando Sisaram, ut in tentorium ipsius ingrederetur, eumque adhortando, ne quid sibi metueret. Hospitalitatis jura violavit, ut hostem falleret; quod nunquam fieri licet; cum hospitalitatis jura semper sancta, ac sacra habita fuerint. Denique supposito etiam, Haber Cinaeum, religionis, foederum, et commodorum vinculis cum Hebraeis fuisse conjunctum, locus dubitandi superest, an frangere potuerit foedus, quod cum Jabin, et Sisara percusserat, quin illum admoneret, atque nulla fuisset ab illis affectus injuria; nam cum peculiariter sine Israëlitis foedus inivisset, peculiariter quoque foederis conditiones ipsi servandae, ni Jabin, et Sisara prius a foedere defecissent, quod e Scriptura non liquet. Si in foedere, quod inter Haber, et Jabin sancitum est, interposita fuit jurisjurandi fides, quod valde probabile est, haec nova accrescit ratio, ut credas, incolumi conscientia sacramentum violare nequaquam fuisse fas eo praetextu, quod nempe Chananaeos inter, et Hebraeos bellum exarserit.*

Objic. LXXIII. *Judic. VI.* 25. Praecipit Dominus Gedeoni, qui Sacerdos non erat, neque ex tribu Levi, sed Manasse, ut taurum offerat in holocaustum, et quidem procul a loco tabernaculi, quod utrumque Deus ipse in Lege prohibuerat. Similiter etiam Samuel *I. Reg. VII.* 17. in Ramatha aedificavit altare Domino, et *I. Reg.* XVI. immolavit in Bethelem quod et fecit Elias III. Reg. *XVIII.* procul a tabernaculo. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Inquit enim Augustinus, Deum non sibi, sed hominibus leges illas sacrificiorum constituisse, ita ut posset ipse Deus aliquando in illis dispensare.

Objic. LXXIV. *Judic. IX.* 13. dicitur: *vinum laetifi-*

cat Deum, *et homines*. Atqui hoc absurdum est. Ergo etc.

℟. *Dist. maj*. Per metaphoram, *conc*. Proprie, *neg*. Sic igitur vinum laetificare dicitur Deum, quomodo dicitur etiam placere Deo odor victimarum, et holocaustorum, quatenus scilicet propitius fiebat sacrificiis, in quibus vinum etiam libabatur.

Objic. LXXV. *Judic. XVIII.* 1. de tribu *Dan* sic habetur: *Tribus Dan quaerebat possessionem sibi*, *ut habitaret in ea*; *usque ad illum enim diem inter ceteras tribus sortem non acceperat*. Sed *Josue XIX.* 40. post alias tribus etiam *Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima*, *et fuit terminus possessionis ejus Sara*, *et Esthaol etc*. Ergo.

Neg. cons. Quamvis enim tribus *Dan* cum reliquis tribubus partem sortita esset; tamen vel ea pars adhuc magna ex parte ab hostibus Amorrhaeis tenebatur, ut putat Ludovicus *de Dieu*, et *Tirinus*, et satis perspicue probari potest ex *Cap*. 1. *Judicum*, ubi legimus *v*. 34. *Arctavitque Amorrhaeus filios Dan in monte*, *nec dedit eis locum*, *ut ad planiora descenderent*, vel non satis ampla erat, ut magnitudini ejus tribus posset sufficere; ideoque novas illas regiones occupare, eoque veluti colonias deducere conabatur, ut opinatur *Estius*, *Vatablus*, *Bonfrerius*, *Munsterus*, *Grotius*, aliique.

Objic. LXXVI. *Judic. XX.* Ad puniendum infandum scelus a Benjamitis patratum, cum Israëlitae exercitum instruxissent, consuluerunt Dominum, quis belli dux esset: qui respondit *v*. 18. *Juda sit dux vester*. Sed cum urbem *Gabaa Benjamin* Juda duce oppugnarent, *egressi filii Benjamin de Gabaa occiderunt de filiis Israël die illo viginti duo millia virorum*. Rursus ergo Israëlitae cum eodem in loco aciem direxissent, fleverunt coram Domino usque ad noctem, eumque consuluerunt, utrum deberent contra filios Benjamin fratres suos dimicare, an non. Responditque Dominus: *Ascendite ad eos*, *et inite certamen*. Et tamen *cum ad praelium processissent*, *eruperunt filii Benjamin de portis Gabaa*, *et occurrentes eis*, *tanta in illos caede bacchati sunt*, *ut decem et octo millia virorum educentium gladium prosternerent*. Non videtur igitur veritas divini responsi con-

stare; ideoque de aliis etiam similibus oraculis quaedam videtur suboriri posse dubitatio.

℟. *Neg. cons.* Erat quidem justum Israëlitarum bellum adversus Benjamitas; cum enim cives *Gabaa Benjamin* infandum scelus perpetrassent, peterentque Israëlitae, ut rei poena afficerentur, convenit universa tribus Benjamin, ut scelestos illos defenderet. Cum ergo nondum esset Rex in Israël, juste populus a Benjamitis poenam sceleris reposcebat. Sed intelligendum est, non semper victoriam eos sequi, qui justum bellum susceperunt; cum permittat aliquando Deus, vel ad alia punienda peccata, vel ob sapientissimas, nobisque saepenumero ignotas rationes, et caussas, ut injusti in bello praevaleant: cujus rei innumerabilia exempla sunt. Prima igitur vice nihil aliud a Domino Israëlitae postulaverant, nisi ut ostenderet, quo duce in eo bello uterentur. Sed utrum victoriam relaturi essent; nec ipsi Dominum interrogarunt, nec victoriam promisit Dominus. Quod ergo a Benjamitis caesi sunt, contra Dei responsum, ac revelationem non fuit; et fortasse si non eum habuissent ducem, quem Deus ostendit, majorem cladem accepissent. Altera vero vice quamvis responderit Deus: *ascendite, et inite certamen*; tamen nec Deus victoriam pollicitus est, nec ipsi culpa vacarunt. Primo enim non Dei auxilio freti, sed multitudine, ac fortitudine sua elati pugnam inierunt. *Rursum*, inquit, *filii Israël et fortitudine, et numero confidentes* etc. Quam superbiam retundere volens praeceperat in *Deuteronomio* VIII. 17. *Ne dicas in corde tuo: fortitudo mea, et robur manus meae haec mihi omnia praestiterunt*: imo superbos semper prosternere, sive humiliare consuevit. Deinde imprudentissime ipsi rem gesserunt; quippe *in eodem loco in quo prius certaverant, aciem direxerunt.* Qui locus fortasse commodus Benjamitis ad pugnandum, Israëlitis erat iniquior. Pronum igitur erat, ut quo in loco priorem cladem acceperant, iterum caederentur. Addunt etiam nonnulli, geminae ejus cladis caussam fuisse idololatriam, qua nonnulli ex filiis Israël polluti erant, quamque Deus eo modo punire decrevit. Hinc tertia tandem vice cum jam spem omnem suam non in se, sed in Domino collocassent, respondissetque Deus: *Ascen-*

dite ; cras enim tradam eos in manus vestras ; et ipsi cautius rem gessissent, ingentem cladem Benjamitis intulerunt. Victi sunt igitur Israëlitae, cum victoriam non promiserat Dominus; cum contra victores eos fore praedixit, vicerunt.

Objic. LXXVII. *Lib.* I. *Reg. Cap. VI.* Cum Philistiim Arcam Dei remisissent, quae plaustro imposita ultro a vaccis mirabiliter in agrum *Josue Bethsamitae* delata est, Israëlitae magno gaudio eodem in loco, accitis Sacerdotibus, et Levitis holocaustum Domino obtulerunt, quo quid religiosius praestare poterant? Et tamen percussit Dominus *septuaginta de populo, et quinquaginta millia plebis, eo quod vidissent Arcam Domini.* Atqui tantus occisorum numerus vel incredibilis est, vel Dei bonitate indignus. Ergo.

℟. *Transeat maj. neg. min.* Licet enim daremus, in eo numero nullum esse amanuensium, aut versionis mendum, non esset tamen Deo indignum, si hominum illorum peccatum, quo Arcam Dei vel curiosius aperire, atque intro aspicere ausi fuerant, ne forte aliquid Philistaei abstulissent (ut videtur innuere Hebraicus textus) (a), vel minus reverenter contra Dei legem aspexerant, ut putant nonnulli interpretes, tam severe castigasset. Quippe Levitae ipsi, qui sacra vasa, ipsamque Arcam gestabant, poena mortis a Deo prohibiti fuerant denudatam Arcam aspicere *Num.* IV. 20. *et alibi.* Sed nos non concedimus, adeo certum esse, et exploratum eum numerum, qui in Vulgata versione, atque in objectione positus est. Vulgata quidem versio sic habet : *Percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis*, quem locum omnes fatentur interpretes esse obscurum. Josephus *Lib. VI. Antiq. Cap.* 2. ita legit: De quinquaginta hominum millibus, qui mirabili rei novitate attracti eo convenerant, percussisse Dominum septuaginta, qui curiosius Arcam aspicere ausi fuerant. Quam sententiam Auctor *Quaest. Hebr. in I. Reg. Lyranus*, *Abulensis*, *Dionysius Car-*

(a) Atque ita *Pagninus*, *Mariana*, *Gordonus*, aliique multi opinantur interpretes.

thusianus, *Bochartus*, *Clericus*, *Clarius*, aliique sequuntur; neque ab eo sensu textus Hebraicus abhorret, una dumtaxat adjecta littera, quae facile amanuensium errante oculo, manuque omitti poterat.

Inst. Deus ipse expresse prohibuerat offerri in sacrificium vaccas *Levit. I. et XXII.* 19 imo extra tabernaculum foederis quodcumque sacrificium offerre vetitum erat *Lev. XVII.* 4 et tamen nulla eam ob caussam poena Betshamitae affecti sunt. Multo minus igitur plecti debebant eo quod vidissent arcam Dei.

℟. *Neg. cons* Quamvis enim vetitum esset vaccas, et quidem extra tabernaculum sacrificari; caussa tamen illa exceptionem pati videbatur. Non enim amplius profanis usibus destinari poterant plaustrum, et vaccae, quae arcae Domini vectandae per miraculum inservierunt; ideoque non poterant meliori usui destinari, quam ut in holocaustum Deo offerentur, et quidem eodem in loco ubi arca constiterat, idque ad perpetuam miraculi memoriam.

Objic. LXXVIII. *I. Reg. VIII.* Cum postulasset populus Regem, indignatus est Dominus. Ait autem Samueli v. 9. *Praedic eis jus regis, qui regnaturus est super eos. Dixit itaque Samuel . . . . Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis . . . . . Agros vestros, et vineas, et oliveta optima tollet, et dabit servis suis . . . . . . vosque eritis ei servi*, et cetera ejusdem generis quae maximam injustitiam legis, et juris auctoritate sanciunt, regnumque faciunt tyrannicum. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Quamvis enim Grotius *Lib. I. De J. B. et P. Cap. I. et* 4. contendat, revera hic a *Samuele* jus regium esse descriptum; major tamen, et sanior interpretum numerus volunt, hic non usum, sed abusum praedictum esse regiae auctoritatis; quam populus pati debebat. Ita sentiunt *Cajetanus*, *Tostatus*, *Menochius*, *Sanctius*, *Tirinus*, *a Lapide*, *Vatablus*, *Clericus*, aliique innumeri. Et merito: ipse enim Deus *Deuter. XVII.* jus regis aequissimum descripserat, si quando populus regem postulasset.

Objic. LXXIX. *I. Reg.* VIII. 5. Cum populus Samueli dixisset: *Ecce tu senuisti, et filii tui non ambu-*

lunt in viis tuis. Constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut et universae habent nationes, displicuit sermo Samueli, imo et Deus ipse ei dixit: *non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*; ita ut quasi grave peccatum populi reprehendatur, quod Regem postulasset. Atqui id Deus ipse permiserat in Deuteronomio *Deuter.* XVII. 14. *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaveris que in illa, et dixeris: Constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes; eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Non ergo secum consentiens est Scriptura.

℟. *Neg. cons.* Non enim absolute peccavit populus Regem petens, sed petens in ea temporis circumstantia, eoque modo. Quippe cum viveret adhuc Samuel a Deo constitutus, eum populus abjiciens, Deum ipsum abjicere videbatur, qui per judices divinitus suscitatos populum regebat. Ratio autem, qua se motos dicebant ad Regem postulandum, non satis erat idonea. Quamvis enim filii *Samuelis* non recte incederent; non tamen erat consequens, ut eam ob caussam ipse *Samuel* imperium abdicaret, sed tantum ut filios redigeret in ordinem, aut certe ab omni injuria inferenda prohiberet. Modus etiam quo regem petebant, in vitio erat. Non enim divinae voluntati, aut permissioni innitebantur, sed exemplo finitimarum gentium infidelium, apud quas tyrannicum potius, quam monarchicum fuisse regimen videtur. *Constitue*, inquiunt, *nobis regem, qui judicet nos, sicut et universae habent nationes.*

Objic. LXXX. *I. Reg. XIV.* 18. Exorto in castris Philistinorum tumultu, *ait* Saul *ad Achiam*: *applica Arcam Dei*: *erat enim ibi Arca Dei*, ut scilicet Deum consuleret, quid facto opus esset: crescente autem tumultu ac strepitu, ait: *contrahe manum tuam.* Atqui ea in re primum quidem cum aliis scripturae locis contradictio esse videtur, cum non Arca, sed *Ephod* applicari posset, ut perspicuum est ex *I. Reg. XXX.* 7. deinde vero superstitiosus quidam ritus commendari videtur. Quid est enim applicare arcam Dei, vel *Ephod* ad praedicenda futura? quid *manum contrahere*? Ergo.

℞. *Neg. min.* Quod enim ad contradictionem attinet idem erat applicare arcam, et applicare *Ephod*, ideoque septuaginta interpretes hunc locum *I. Reg. XIV.* ita in Graecum transtulerunt: *προσάγαγε το εφȣδ*, *affer Ephod*, hoc est *Ephod* induc. Sacerdos enim cum opus esset in re ancipiti Deum consulere, indutus *Ephod* ad Arcam Dei accedebat, ibique expansis, aut in caelum sublatis manibus, Deum orabat; cumque Dei voluntas vel voce, vel signo alio cognita esset, contrahebat manus, quas eousque extensas habuerat. Monet igitur *Saul* Sacerdotem ut *applicaret Arcam*, vel *Ephod*, hoc est ut indutus *Ephod* Deum coram Arca consuleret, sed cum ex ipso Philistinorum tumultu clare cognovisset, occasionem sibi bene gerendae rei oblatam esse, nec esse amplius expectandi tempus, ideo Sacerdotem monuit: *contrahe manum tuam.* Quid autem in eo ritu, quo Deum in rebus dubiis Sacerdotes consulebant, superstitiosi esse poterat? Non vestis ipsa, quae Deo jubente facta erat; ut ea Sacerdos indutus Deum oraret; non Arca, quae erat ad praesentis Dei majestatem significandam instituta; non denique extensae manus, cum eo corporis situ Moyses Deum exoraverit. Vide Buxtorfium in *Historia Arcae foederis.*

Objic. LXXXI. *Lib. I. Reg.* XV. 2. Ita praecepit Samuel Sauli: *Haec dicit Dominus exercituum: Recensui quaecumque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de AEgypto* Exod. XVII. 8. *Nunc ergo vade, et percute Amalec, et demolire universa ejus: non parcas ei, et non concupiscas de rebus ipsius aliquid: sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum, atque lactentem, bovem, et ovem, camelum, et asinum.* Atqui hoc praeceptum horribile videtur, legique naturali contrarium. 1.° Enim nemo ex illis vivebat Amalecitis, qui Israëlitarum iter interceperant, cum ea quadrigentis ante annis acciderent. 2.° Quid peccaverunt parvuli, atque lactentes, pro quibus clementiam flagitabat ipsa natura? 3.° Boves, camelos, aliaque interficiendi animalia, nulla ratio esse videbatur. Et tamen quia nonnullis misericordia motus pepercit *Saul*, a Deo rejectus omnino, ac reprobatus est. Ergo.

R. *Neg. min.* 1.° Amalecitae illi, qui Israëlitis ex Ægypto egressis bellum intulerant, gravissime peccaverant, non solum quia pugnantes contra populum, quem Deus tot prodigiis ex Ægypto eductum, mirabili ratione protegebat, contra Dei voluntatem pugnare videbantur; verum etiam, quia novissimum agmen ex insidiis insecuti, in eos, qui fame, ac siti enecti, atque ex itinere delassati reliquum agmen sequi aequis passibus non poterant, impetu facto multos interfecerunt. Quod quidem adeo vehementer Deo displicuit, ut jam tum eum populum morte damnaverit *Exod.* XVII. 14. *Scribe hoc ob monimentum in libro, et trade auribus Josue; delebo enim memoriam Amalec de caelo . . . quia manus solii Domini, et bellum Domini erit contra Amalec a generatione in generationem.* Et Deuter. XXV. 17. *Memento quae fecerit tibi Amalec . . . . Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, et subjecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen ejus sub caelo. Cave ne obliviscaris.* 2.° Quod Deus non eo ipso tempore Amalecitas deleverit, sed eorum nepotibus poenam reservaverit; misericordiae potius tribuendum est, quia non adhuc ad culmen ejus populi iniquitates pervenerant; sicut et Abrahamo dixit *Gen.* XV. 16. *Nondum completae sunt iniquitates Amorrhaeorum.* Putandum est igitur, eorum filios peccatorum mensuram implevisse, cum in eos tam severam vindictam exercere decrevit Deus. 3.° Parvulos autem, atque lactentes, tamquam res ad patres pertinentes in eorumdem patrum poenam occidi jussit, cum nec ipsi originali carerent peccato, propter quod potuisset sine injustitia Deus illos fame, pestilentia, aliisque calamitatibus perdere. 4.° Animalia denique, aliaque Amalecitarum spolia omnino deleri voluit Deus, tum ad majorem incutiendum peccati eorum execrationem, et odium; tum ne potius spe praedae, quam zelo divinae justitiae Israëlitae incitati viderentur. *Saul* vero merito propter divini praecepti violationem reprobatus est. Cum enim tamquam minister justitiae Dei missus est, non suum erat temperare sententiam, sed adamussim eum obtemperare oportebat.

Objic. LXXXII. *I. Reg. XV.* 35. Sic expresse legitur:

Non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis suae nempe ex quo Dei praeceptum de Amalecitis delendis violavit. Atqui constat ex *I. Reg. XIX.* 24. iterum Samuelem vidisse Saulem *Et expoliavit*, inquit, *etiam ipse se* (Saul) *et prophetavit cum ceteris coram Samuele* Ergo.

℟. *Transeat. min. Neg. cons.* Dixi *transeat min.* quia non expresse scriptum est, *Sauelm* tunc vidisse *Samuelem*, sed Saulem prophetasse cum ceteris corum *Saulem*, qui potuit alio oculos avertere, ne invisum Regem, atque a Deo rejectum vel uno aspectu dignaretur. Sed licet hoc demus, quod est in objectione positum, non illud efficitur, falsum esse, quod in *I Reg. XV.* scriptum est, non amplius *Samuelem* vidisse *Saulem* usque ad diem mortis. Non enim aliud sibi voluit Auctor, nisi *Samuelem* non amplius adiisse *Saulem*, ut facere antea consueverat, neque illum umquam benigno aspectu dignatum esse, aut amoris erga illum, atque observantiae exhibuisse officia, quamvis in eum semper caritatem servaverit, proque ipso saepe diu fleverit.

Objic. LXXXIII. In *Lib. I. Reg. XVI. et seq.* ubi Davidis initia describuntur, multa sunt, quae nec secum invicem, nec rationi ullo pacto videntur cohaerere. Dicitur enim *David* cum a *Samuele* unctus est. *I. Reg. XVI.* 11. parvulus: *Adhuc*, inquit, *reliquus est parvulus, et pascit oves.* Imo postquam in aulam *Saulis David* introductus erat, ut citharam pulsando Regem nefario Spiritu agitatum recrearet, qua de re diximus *Lib. V. part.* 3. adhuc eum Saul appellat puerum *I. Reg. XVII.* 33. *Non vales resistere Philisthaeo isti ... quia puer es* et v. 65. *De qua stirpe descendit hic adolescens . . . interroga cujus filius sit iste puer.* At contra cum primum in Saulis aulam accitus est, vir fortissimus, et bellicosus appellatur *I. Reg. XVI.* 18. *Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem, scientem psallere et fortissimum robore, et virum bellicosum.* Cumque adversus Philistaeum dimicaturus esset, *induit eum vestimentis suis Saul*, cujus statura cunctis Israëlitis procerior erat. Deinde mansit David diu apud Saulem, qui *dilexit eum nimis, et factus est ejus armiger*: *misitq. Saul ad Isai, dicens: stet David in conspectu meo; invenit enim gra-*

tiam in oculis meis: nec a *Saule* discessit nisi cum hic ad bellum contra Philistaeos profectus est. At contra paucis post diebus cum occasione *Goliath* Philistaei, qui Israëlitas ad singulare certamen provocabat, adductus esset *David* ad *Saulem*, omnino novus, atque ignotus visus est; *De qua stirpe*, inquit Saul, *est hic adolescens, cujus filius est? dixitque Abner: Vivit anima tua, Rex, si novi.* Denique I. *Reg. XVIII.* 10. *Invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat in medio domus suae: David autem psallebat manu sua etc.* Si autem Spiritus Dei erat, quomodo malus esse dicitur? et si malus erat, quomodo ab illo Saul agitatus prophetabat? Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad* 1m. Quod *David* primo ab *Isai* vocatus sit parvulus I. *Reg. XVI.* 11. ac deinde cum primum in Saulis aulam est accitus I. *Reg. XVII.* 18. vir fortissimus et bellicosus appellatus sit, nihil omnino difficultatis habet; non enim ex Scriptura liquet, quantum interfuit temporis inter eam diem, qua David parvulus a Samuele inunctus est, et eam, qua primum ad Saulem est adductus. Si autem ponamus annos non amplius quinque inter utrumque factum interfuisse, Davidem vero cum a Samuele unctus est, quindecim annos natum esse, facile erit intelligere, quo pacto primo parvulus, deinde vir fortissimus, et bellicosus, hoc est bello aptus appelletur. Adolescens enim annorum viginti, quem praesertim Deus ad regnum Israelis destinatum singulari fortitudine auxerat, fortissimus, ac bellicosus appellari facile potuit, praesertim ab iis, qui ut eum Sauli commendarent, ejus virtutem praedicare, et amplificare satagebant. Et tamen etiam tunc a Saule adolescens, et puer dici potuit, comparatus *Goliath*, cum quo erat congressurus: *Non vales*, inquit, *resistere Philistaeo isti, nec pugnare adversus eum, quia puer es; hic autem bellator est ab adolescentia sua.*

Ad 2m. Non desunt quidem, qui putant, ea quae in *Cap. XVII.* de victoria *Davidis*, et nece *Goliath* leguntur, praecessisse ea, quae in *Cap. XVI.* scripta sunt, quamvis inverso temporis ordine ab auctore posita sint; quae responsio secat potius nodum, quam solvit; imo nec Scripturae cohaeret, nec est ad rem propositam ne-

cessaria. Non enim legimus in Scripturis, *Davidem* paucis diebus postquam a *Saule* digressus est ad eum in castra reductum esse, cum contra potuerit bellum illud contra Philistaeos pluribus annis, quod non est in bellis insuctum, durare. Si ergo ponamus Davidem post annum ad Saulem reductum esse, fieri facile potuit, ut ab eo non statim agnosceretur. In prima enim illa aetate, qua vultus lineamenta formari incipiunt, et genae barba induuntur, crescitque sensim statura corporis, satis est annus unus; ut aspectus hominis immutatus videatur, cum praesertim David, non citharoedi, aut armigeri habitu, sed ut erat pastoritia veste indutus, ad Saulem fuerit adductus, qui gravioribus occupatus curis, metu consternatus, saepe etiam agitatus a daemone, facile oblivisci potuit.

Ad 3m. *Prophetare* ibi non significat prophetico spiritu futura praedicere, sed insolitis agitari motibus, veluti furore quodam concuti, menteque emota, multa dicere inconcinna, absona, aliena, qua in re malus Spiritus veros prophetas imitabatur, qui dum bono Dei spiritu incitati erant, sacro quodam *enthusiasmo* moti videbantur. Hinc Chaldaica paraphrasis, quod in vulgata dicitur, *prophetabat*, vertit, *et insaniebat*. Dicitur autem nefarius ille spiritus, hoc in loco spiritus Dei, quia etiam ipse Dei servus, et minister est, et in Saule exagitando justitiae Dei serviebat; unde alio in loco I. *Reg. X 1.* 14. dicitur: *Spiritus nequam a Domino.*

Objic. LXXXIV. 1. *Reg. XXX.* 7. Postquam Amalecitae *Siceleg* depopulati incenderunt, *confortatus est David in Domino Deo suo, et ait ad Abiathar Sacerdotem filium Achimelech: Applica ad me Ephod; et applicavit Abiathar Ephod ad David, et consuluit David Dominum etc.* Responditque Dominus, quid facto opus esset. Atqui *Ephod* vestis erat summi Sacerdotis *Exod. XXVIII. et XXIX.* ideoque illa alios indui ad consulendum Dominum sacrilegium erat, non secus ac si hodie laicus sacerdotali veste indutus sacra munia attrectaret. Et quamvis legamus in Sacris litteris, nonnullos, qui Sacerdotes non essent, nec de Levitica tribu, indutos *Ephod lineo*, quod alterius generis vestis erat, ut puer Samuel I. *Reg.* II. 18. et ipse David lu-

dens ante arcam Dei II. *Reg. VI.* 14. ipsum tamen *Ephod* proprie dictum, praeter summum Sacerdotem alios indui piaculum erat. Tantum ergo abest, ut Dominus ea ratione consultus Davidem exaudiret, quin potius eum gravi poena afficere debuisset, sicut legimus *Oziam* lepra percussum, eo quod incensum super altare thymiamatis adolere ausus sit. II. *Paralip. XXVI.* 16.

℟. *Neg. cons.* Verba enim illa: *Applica ad me Ephod* nequaquam significant, David sacerdotalem induere vestem voluisse, sed rogasse *Abiathar*, ut indutus *Ephod* Deum pro eo consuleret, ut *Estius, Menochius*, aliique communiter opinantur interpretes.

Objic. LXXXV. In *Lib.* II. *Reg.* II. duo sunt, quae non exiguam difficultatem habent, et manifeste falsa videntur. Primo enim dicitur *Abner* Regem constituisse *Isboseth* Saulis filium *super Galaad*, *et super Gessuri, et super Jezrahel*, *et super Benjamin*, *et super Israël universum.* Constat autem Regem Gessur fuisse *Tholmai* II. *Reg.* III. 3. *et* II. *Reg. XIII.* 37. Deinde v. 10. dicitur *Isboseth* duobus annis regnasse, cum ex ipsa historia constet, eum annis regnasse septem. Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad* 1m. Quod in vulgata legitur *Gessuri*, in Hebraico est *Asuri*; quod significat, ut nonnulli putant, regionem tribus *Aser*. Sed etsi legatur *Gessuri*, cujus *Tholmai* rex erat, facile explicari contradictio poterit. Vel enim aliqua ejus regni pars ab Israëlitis ante mortem *Saulis* subacta fuerat, quam partem *Abner Isbosethi* regno adjunxit; vel ipsum *Gessuri* regnum Israëlitis vectigale erat, quamvis proprium haberet regem; ita ut jus, quod Israëlitae in regnum illud habebant, *Abner Isbosetho* addixerit.

Ad 2m. Quod dicitur *Isboseth* duobus regnasse annis eodem modo explicari potest, quo infra explicabimus quo sensu dicatur *Saul* duobus regnasse annis; hoc est, jam *Isboseth* duobus regnaverat annis, cum ea acciderunt, quae in capite illo memoriae prodita sunt.

Objic. LXXXVI. In II. *Reg. VI.* 3. dicitur *David* tulisse arcam Dei *de domo Abinadab; qui erat in Gabaa.* Gabaa autem urbs erat in Tribu Benjamin, ex qua ortus est Saul, cum tamen ex I. *Paralip. XIII.* 6. constet, arcam translatam esse *de colle Cariathiarim, qui est in Juda.* Rursus ex eodem *Lib.* II. *Reg. VI.* treme-

factus *David* ex morte *Ozae*, quem percussit Dominus propterea quod extendisset manum, ut arcam pene labantem sustineret, divertit eam *in domum Obededom Gethaei*; ideoque Philistaei hominis, qui tamen *I. Paralip. XV.* 18. *et XXVI.* 4. Levita dicitur. Ergo.

℟. *Neg. cons. Ad* 1m. enim respondemus *Gabaa*, ubi domus erat *Abinadab*, non fuisse *Gabaa Benjamin*, sed *Gabaa Cariathiarim*. Nomen enim *Gabaa* editiorem locum significat, unde etiam in Libro *Judith* III. 4. in Iduniaea fuisse dicitur *Gabaa*, ideoque idem est *Gabaa* ac *collis Cariathiarim*. *Ad* 2m. merito percussus est *Oza*, quia arcam, quam ex lege Moysis Levitae humeris et vectibus deferre debebant, plaustro imposuerat a juvencis ferendam, ideoque culpa sua in periculum illud arca venerat, ut observant *Hieronymus*, *Theodoretus*, aliiq. *Ad* 3m. *Obededom* non Philistaeus, sed Levita erat; sed quia natus erat in Geth, eo quod vel ibi pater exulaverat, vel cum Davide moratus fuerat regnante *Saule*, vel quacumque alia de causa domicilium ibi habuerat, *Gethaeus* dicitur unde in eodem *Lib.* 1. *Paralip.* et Gethaeus, et Levita appellatur.

Objic. LXXXVII. Quod in *Lib. II. Reg. XIV.* 26. legitur de caesarie *Absalom* omnino incredibile videtur. Inquit enim: *Et quando tondebat* (Absalom) *capillum* (*semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum caesaries*) *ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico*. Quis autem isthuc intelligat? Ducenti enim sicli in eorum sententia, qui siclum quatuor, vel quinque drachmas habuisse putant, octo, et amplius libras conficiunt; quod quidem pondus omnino fidem superare videtur, cum praesertim non sit verisimile, Absalom caput radendo totam sibi caesariem, sed partem tantum, quae caput praegravabat, praecidisse. Utcumque autem sicli pondus imminuas, invenies semper tantum sine dubio pondus, quod in unius hominis capillorum annua tonsione inveniri prorsus est incredibile. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Duae enim sunt hac in re sententiae eruditorum. Alii enim putant, in hoc Scripturae loco non de pondere agi, sed de pretio capillorum Absalom: alii de pondere. Et primi quidem facile rem expediunt,

Ajunt enim, *Absalomi* servos, ejus capillos, cum tondebatur, vendidisse ad comas ornandas, cumque ii singularis essent pulchritudinis, et quidem tanti principis, Regis filii, non esse mirum, tanti fuisse aestimatos. Sed auctores alterius sententiae, quae Scripturae verbis magis videtur congruere, in duas praecipue partes abeunt. Nonnulli enim docent, mendum in textum Hebraicum irrepsisse, et pro littera כ *caph*, quae nota est numeri viccnarii (seu viginti) positam esse litteram ר *resc*, quae ducentos significat. Alii vero putant, siclos hic non esse intelligendos eos, qui in communi olim usu apud Hebraeos erant, sed alterius generis; quod enim in Vulgata dicitur *pondere publico*, in Hebraeo est *pondere Regis*; quem regii ponderis siclum septem obolis constitisse probant; ita ut totum ducentorum siclorum pondus vix uncias triginta efficiat; quod pondus incredibile non est, praesertim si illud non ad resectos capillos, sed ad totum comae pondus, ut ex contextu verisimilius est, referatur. Vide *Pelleterii* Dissertationem *De coma Absalomi*; et Bochartum in Epistola *De caesarie Absalom*, Calmet, Tirinum etc. Itaque non de veritate historiae disputatur, sed de sensu.

Objic. LXXXVIII. II. *Reg.* XX. Cum dira fames tribus annis grassata esset, dicitur *David* consuluisse oraculum Domini, qui respondit, id accidisse *propter Saul et domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas.* Quo audito, *David* Gabaonitis ipsis optionem dedit, ut peterent quod vellent, ad placandum Dominum: pronum autem erat, ut peterent familiae *Saulis* excidium; ac proinde petentibus ipsis, tradidit septem filios, seu nepotes *Saul*, quos Gabaonitae in cruce suffixos occiderunt. Atqui *Saul* jam a Deo fuerat gravissima affectus poena, filius etiam ejus *Jonathas*, qui non videbatur paternorum scelerum reus, in acie ceciderat, ejusque familia universa regno fuerat spoliata. Praeterea propter *Saul* jam mortuum poena affici populum, non erat consentaneum. Ergo potuit illud *Davidis* esse commentum, ut *Saulis* familiam, ne quando regnum, a quo depulsa erat, affectaret, omnino extingueret. Est etiam eo in loco contradictio sacri Scriptoris. Ait enim, traditos a Davide Gabaonitis duos filios *Resphora*, *et quin-*

que filios Michol filiae Saul, quos genuerat Hadrieli etc. Constat autem *Michol* nullum natum esse filium, *Merob* autem non *Michol Hadrieli* nupsisse. II. *Reg. VI.* 23. I. *Reg. XVIII.* 19. *et XXV.* 44.

℞. *Dist. min.* Poena *Saul* affectus fuerat, sed nondum satis justitiae Dei datum fuerat, eo quod ejus filii utpote educati olim in domo regnatrice, ob ingenitam genti superbiam aliorum rei erant criminum, propter quae dicti sunt *domus sanguinum*, *conc.* Secus. *neg.* Ex ipsis igitur verbis in objectione positis, *propter Saul, et domum ejus sanguinum*, perspicuum est, *Saulis* familiam non fuisse innoxiam, sed vel in eandem contra Gabaonitas injuriam conspirasse, vel aliorum fuisse scelerum ream. Non est autem absurdum calamitate illa affectum esse populum propter Saulis scelus contra Gabaonitas, tum quia multi etiam e populo in idem conspirasse, vel saltem approbasse, verisimile est; tum quia respectu eorum, qui innoxii fuerant, calamitas illa non erat poena, sed privatio quorumdam bonorum temporalium ob bonum publicum, scilicet ad testandum Dei odium contra jurisjurandi violationem. Quod autem *David Saulis* familiam eo commento perdere voluerit, impudentissima calumnia est, cum nihil David in eo negotio, nisi Dei ipsius responso aggressus sit. Scimus autem, *Davidem*, cum bis Saulem in manu habuisset, cumque impune potuisset occidere, certus sibi regnum post *Saulem* esse destinatum, non tamen id voluisse. Cumque *Saul*, et *Jonathas* in montibus Gelboe cecidissent, *apprehendens David vestimenta sua scidit, et omnes viri, qui erant cum eo, et planxerunt, et fleverunt, et jejunaverunt usque ad vesperum super Saul, et super Jonathan filium ejus*, illumque ipsum, qui nuntiaverat, quia jam fassus erat, se *Saulem* hastae incumbentem, jamjamque moriturum confecisse, jussit interfici II. *Reg.* I. Item cum *Rechab*, et *Baana* filii *Remmon Berothitae*, *Isboseth Saulis* filium, septimum jam annum regnantem super undecim ferme tribus Israël interfecissent, putantes gratum opus *Davidi* se facturos, ipsumque caput *Isboseth* ei apulissent, jussit *David*, eos interfici. II. *Reg.* IV. *Vivit*, inquit, *Dominus*, *qui eruit animam meam de omni angustia. Quoniam eum,*

qui nuntiaverat mihi, et dixerat: mortuus est Saul, qui putabat, se prospera nuntiare, tenui, et occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dari pro nuntio; quanto magis nunc cum homines impii interfecerunt virum innoxium in domo sua super lectum suum, non quaeram sanguinem ejus de manu vestra, et auferam vos de terra? Quippe licet Dei jussu *David* rex Israël a *Samuele* unctus esset, numquam tamen in animum induxit, ut regnum per crimina compararet, aut servaret. *Miphiboseth* vero filium *Jonathae* nepotem *Saulis* diligenter conquisitum, quanto maximo potuit honore affecit. Stultum igitur est ei objicere, quod familiam *Saulis* extinguere impio illo commento, quod in objectione ponitur, cogitaverit. Quod autem ad contradictionem attinet in objectione positam, ea facile dissolvitur. Vel enim vitio librariorum *Michol* pro *Merob* in Hebraicum textum irrepsit, vel *Michol* filios Merob sororis suae jam mortuae adoptavit. Priorem sententiam *Cajetanus*, aliique interpretes non ignobiles; posteriorem *Estius*, aliique defendunt.

Objic. LXXXIX. II. *Reg.* XXIV. Iratus Dominus eo quod David populum numerari jusserat, septuaginta millia virorum terribili pestilentia interfecit. Atqui hoc absurdum est; 1.° enim quid peccaverat populus, qui Rege jubente numeratus erat? 2.° Quid etiam in eo praecepto David peccaverat, cum nosse civium numerum ad rectam Regni administrationem plurimum valeat? 3.° Nonne ipse Deus *Exod.* XXX. 12. id fieri jusserat? *Quando tuleris,* inquit, *summam filiorum Israël, juxta numerum dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, et non erit plaga in eis.* Ergo.

℟. *Neg. min.* Peccavit enim David, quia non ex religionis officio, aut Dei jussu, ut in *Exodo* praecipitur, sed ex superbia, et inani gloria subditorum numerum nosse cupiebat. Eam ob causam iratus Dominus optionem ei per Prophetam dedit, ut aut trium dierum pestilentiam, aut septem annorum famem, aut trium mensium persecutionem hostilem eligeret, ex quibus David sapienti consilio pestilentiam elegit, quae non modo populum, sed et Regem ipsum occidere potuisset. Populum autem pro Regis peccato punitum, non est absur-

dum ; tum quia publicae istae calamitates Reges ipsos gravissime afficiunt, tum quia non est putandum ab omni-alio peccato immunem fuisse populum; tum denique, quia justis mala isthaec physica magis cooperantur in bonum, ut ait Apostolus.

Objic. XC. II. *Reg.* XXIV. 14. ait David: *Melius est, ut incidam in manus Domini* (*multae enim misericordiae ejus sunt*) *quam in manus hominum*. Contra Apostolus *Hebr. X.* 31. *Horrendum est*, inquit, *incidere in manus Dei.* Et Susanna *Dan.* XIII. 25. *Melius est mihi incidere in manus vestras*. Ergo.

℟. *Neg. cons.* David enim considerabat Deum in hoc saeculo punientem, et corrigentem: Apostolus punientem in altero saeculo impoenitentes: denique *Susanna* comparabat mala temporalia, quae ab hominibus inferri possunt, cum peccato, ad quod incitabatur: *Melius est*, inquit, *mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.*

Objic. XCI. Quae de opibus *Salomonis* referuntur III. *Reg.* IV. prorsus fidem superant. *Erat autem*, inquit, *cibus Salomonis per dies singulos triginta cori similae, et sexaginta cori farinae* (corus autem octingentas continebat libras) *decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum, et avium altilium.* Quis hoc sibi persuadeat? Praeterea subditur: *Habebat Salomon quadraginta millia praesepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium.* At enim id quidem in lege vetitum erat *Deuter.* XVII. 16. *Cum constitutus fuerit* (Rex) *non multiplicabit sibi equos*, ac proinde non est credibile, *Salomonem*, cujus sapientia, et regni initia laudantur, hanc legem adeo claram violasse. Deinde aliter narratur II. *Paralip.* IX. 25. quod indicium falsitatis est. Sic enim ibi legitur: *Habebat Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, et curruum, equitumque duodecim millia*; quae quidem lectio nec ipsa cum Hebraico textu *Paralipomenon* consentanea est, in qua legitur: *Habebat Salomon quatuor millia praesepia equorum, et currus, et equitum duodecim millia.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* Cum enim *David* quadraginta regnas-

set annis, multosque populos bello subegisset, ingentesque inde comparasset thesauros, de quibus vide Calmetum in peculiari *Dissertatione*, ipseque *Salomon* regnasset a Thaphsa, quae erat circa Euphratem, usque ad Gazam, haberetque pacem ex omni parte in circuitu III. *Reg*. IV. fortasse etiam non modica exigeret tributa III. *Reg*. XII. et classe in Ophir missa, ingentem auri vim comparasset, mirum non est, quod de ejus divitiis narratur in sacris litteris. *Ad* 1m. Incredibilis prorsus esset ille mensarum apparatus, si solus illa omnia *Salomon* ingurgitare debuisset. Sed exinde tantum colligitur, magnum fuisse eorum numerum, quibus Regis servitio addictis non solum pecunia, verum etiam cibaria praebebantur. Vide Villalpandum *T*. II. *P*. 2. *Lib*. *V*. *Cap*. 61. *Ad* 2m. quod pertinet ad contradictionem, ea facile dissolvitur, si ex loco *Paralipomenon* verba *Lib*. III. *Regum* explicemus. Habebat igitur Salomon praesepia quadraginta millia equorum, idest ad quadraginta millia equorum continenda; quod et consonat cum Hebraico textu *Paralipomenon*, in quo habentur quatuor millia praesepia. Si enim unumquodque stabulum decem continebat equos, jam quatuor millia praesepia quadraginta equorum millia continebant. Quod vero pertinet ad legis praeceptum, nonnulli quidem concedunt, ea in re peccasse Salomonem. Vide Pinedam *Lib*. VII. *de reb*. *Salom*. *Cap*. 14: *Serarium*, *Sanctium etc*. Neque inde sequitur, ut non potuerint generatim in reliquis laudari ejus regni initia. Alii vero contendunt, *Salomonem* non fuisse hui legis adversatum, cum tantam equorum multitudinem non sibi, sed ipsius populi defensioni, atque usui destinasset. Ceterum ea quaestio a nostro proposito aliena est.

Objic. CXII. *Salomon* e *Bethsabea* adultera natus, atque ejus consiliis in regni successione praelatus *Adoniae* natu majori, qui jus habebat ad Regnum, *Adoniam* ipsum interfici jussit, eo quod a *Salomone* non vi, sed precibus postulasset uxorem *Abisag* Sunamitidem III. *Reg*. II. quamvis ei nihil mali se facturum, addito etiam fortasse juramento, affirmasset III. *Reg*. I. 51. *et seq*. Atqui hoc grande scelus fuisse videtur, cum sufficeret *Adoniae* negare quod precibus postulaverat. Ergo.

℟. *Neg. major. quoad* 2m. *part.* nempe quod *Adonias* jus ad Regnum habuerit; cum enim hereditaria regni successio nulla dum lege esset stabilita; poterat Deus minores natu regno destinare, sicut *Davidem* natu minimum elegerat. Porro *David* in electione *Salomonis* Dei ipsius inspiratione motus est, qui quidem cur *Salomonem* ex adultera quidem, sed non ex adulterio natum, *Adoniae* praetulerit, nostrum non est investigare. Gravissime tamen peccaverat *Adonias*, qui vivente adhuc *Davide*, regnum capessere tentaverat, imo facta conspiratione, jam regnum invaserat III. *Reg.* I. Porro ex hoc *Adoniae* facto putavit *Salomon*, illum aperte regnum affectare, et sine dubio invasurum, si *Abisag*, quae regina fuerat, uxorem obtinuisset. Unde roganti *Bethsabeae* respondit: *Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniae? postula ei et regnum; ipse enim est frater meus major me, et habet Abiathar Sacerdotem, et Joab filium Sarviae.* Ceterum utrum nimis praeceps, atque crudelis ea *Salomonis* sententia fuerit, nonnullis interpretibus eam damnantibus, aliis defendentibus, nostrum non est definire, cum ea quaestio ad veritatem sacrae historiae, quam defendimus, non pertineat.

Objic. XCIII. III. *Reg.* VI. 1. ita habemus: *Factum est ergo quadringentesimo, et octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti, in anno quarto, mense zio, ipse est mensis secundus regni Salomonis super Israël, aedificari coepit domus Domino.* Atqui initis, subductisque rationibus annorum, quibus *Josue*, *Judices*, *Saul*, et *David* imperarunt, non constat iste annorum numerus quadringentorum, et octoginta. Viderunt id perspicue viri docti. *Melchior Canus* ab exitu filiorum Israël ex Ægypto usque ad templi aedificationem annos numerat quingentos nonaginta, *Josephus Hebraeus* quingentos nonaginta duos, *Sulpitius Severus* quingentos octoginta octo, *Clemens Alexandrinus* quingentos sexaginta sex, *Cedrenus* sexcentos septuaginta duos, *Serarius* sexcentos octoginta, *Petavius* quingentos viginti, *Vossius* quingentos octoginta; alii plus, minusve. Ergo.

℟. *Trans. min. neg. cons.* Quamvis enim demus, vitio librariorum in locum in objectione citatum aliquid

peccatum fuisse, quod saepe diximus, potuisse accidere in rebus, quae ad religionis summam non pertinent, non inde fieret, falsum esse Scriptorem sacrum, ut idem advertit Melchior Canus *Lib.* XI. *cap.* 5. Ceterum quo pacto ille annorum numerus, qui III. *Reg.* VI. positus est, defendi possit, vide apud Usserium *Chron. Sacr. Cap.* 12. et alios.

Objic. XCIV. AEdificatio templi a *Salomone* perfecta Deo auctori tribuitur II. *Reg.* VII. I. *Paralip.* XXII. III. *Reg.* VIII. Imo cum templum illud ab Assyriis subversum esset, Prophetae non cessabant Judaeos a captivitate Babylonica reduces ipsius Dei nomine increpare, quod essent in templi restauratione segniores, quasi praecipuum, ac maximum religionis officium negligerent *Aggaei I.* Atqui templi illius aedificandi consilium ab Ethnicorum moribus, et imitatione profectum est, ut ostendit Marshamus *in Canone Chronico*, et Spencerus *Lib.* III. *De legibus Hebraeorum ritualibus Dissert.* VI. nam 1.° ipse Deus per *Isaiam* quodcumque templum se contemnere deuuntiat, *Is.* LXVI. 1. *Haec dicit Dominus Caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quae est ista domus, quam aedificabitis mihi? Et quis est iste locus quietis meae?* in quo Scripturarum contradictio est. Et *Act.* VII. 47. *Salomon aedificavit ei domum; sed non excelsus in manufactis templis habitabit.* 2.° Veteres Patriarchae pietate, et religione in Deum nobilissimi *Abel, Enos, Noë, Abraham, Isaac, Jacob, Melchisedech; Moyses etc.* nullo in templo, sed sub dio sacrificia obtulerunt, rati nullum majus, aut augustius Dei templum esse posse, quam ipsum hoc universum a Deo conditum, veluti templum majestate sua non indignum, cum praesertim non deessent illis opes, praesertim *Melchisedecho*, qui Rex, et Sacerdos erat, ut templum aliquod aedificarent. 3.° Falsorum numinum cultores primi templa posuerunt, putantes, Deos suos domibus contineri, atque ita precantibus fieri propiores, unde ante *Salomonis* templum legimus in Scripturis posita Deorum templa, sive domos, *ut Beth Peor*, Deuteron. XXXIV. 6. *Beth Dagon*, I. Reg. V. 2. *Beth Astaroth*, I. Reg. XXXI. 10. *Beth Baal Berith*, Judic. IX. 4. etc. unde pronum est colligere, ad eorum imi-

tationem voluisse *David*, ac *Salomonem* templum Deo ponere. 4.° Ipse situs templi *Salomonis* in monte, frons, sive vestibulum ad orientem, structura, atque divisio, interior recessus, quo nemo ingrediebatur, et unde oracula petebantur, omnino templis Ethnicorum similia erant, ut late *Spencerus* ex veterum testimoniis ostendit, et ingenue fatetur Calmet in *Dissert. De templis veterum.* Ergo falsum est, templum illud a *Salomone* Dei ipsius jussu excitatum, ac deinde Deo ipso auctore post captivitatem restitutum.

℟. *Neg. min.* Templum enim Deus aedificari voluit non quasi domus, ubi ipse contineretur, et habitaret, quae falsa Ethnicorum opinio erat, quam opinionem apud crassiores Judaeos invalescentem Deus ipse per *Isaiam* reprehendit loco in objectione recitato, sed ut figura esset Ecclesiae militantis in novo Testamento, et triumphantis in caelo, sicut ait Apostolus II. *Cor.* VI. 16. *Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.* Quod quidem *Augustinus* scribens in *Psalmos*, variis in locis fuse prosequitur. Quoniam igitur prophetiae, et figurae veteris testamenti eo fuerunt clariores, quo magis Christo, novoque Testamento viciniores erant, non est mirum, quod licet veteres Patriarchae templis usi non essent, tamen templi unius constituendi ad significandam unitatem Ecclesiae, auctor fuerit Deus, regnante *Salomone*, qui quatenus *Rex Pacificus* dictus est, Christi figura erat, a quo fundanda erat Ecclesia. Atque ita prima, et secunda ratio, quae posita est in objectione dissolvitur. *Ad* 3m. Licet demus, Ethnicos ante Salomonem falsis numinibus erexisse templa, et non potius altaria quaedam, aut titulos, ad imitationem altarium, quae vero Deo patriarchae posuerant, non sequitur, Deum ad imitationem Ethnicorum voluisse templum a *Salomone* aedificari, sed potius ad avertendum ab idololatria populum, et Ecclesiam significandam. Idque fortasse sibi voluit *Chrysostomus Serm.* XXXI. in *Nat. Christ.* a *Spencero* laudatus, ubi ait, Deum praecepisse templum aedificari, ne populus Ethnicorum rituum cupiditate caperetur. *Ad* 4m. Quamvis Ethnicorum tem-

pla aliquid simile habuerint templo Salomonis, non tamen probant *Spencerus*, et *Marshamus*, Ethnicos ipsos non fuisse aliquid e templo *Salomonis* imitatos, cum veterum testimonia, quae producunt, ac recitant auctorum sint *Salomone* longe posteriorum. Vide Natalem Alexandrum *Dissert.* I, *in* IV. *Mundi aetat.* ubi *Marshami*, et *Spenceri* argumenta fuse refellit.

Objic. XCV. III. *Reg.* XII. 20. Defecit Israël a Roboam filio Salomonis; *Nec secutus est quisquam domum David praeter tribum Juda solam.* Atqui praeter tribum Juda additur etiam tribus Benjamin tum in eodem capite, tum in aliis Scripturae locis; imo et II. *Paralip.* XI. 13. Levitae etiam, qui erant in universo Israël, venerunt ad Roboam. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Quod enim pertinet ad tribum Benjamin, ea veluti una tribus cum Juda censebatur, cui valde vicina erat. Unde III. *Reg.* XI. 31. cum *Ahias* Silonites *Jeroboamo* praedixisset, cum regnaturum esse super decem tribus Israël, addit, solam tribum Juda remansuram esse domui David, cum e contrario si tribus Benjamin a Juda distincta censeretur, undecim tribus Jeroboam fuissent datae. Quod vero ad Levitas attinet, ii *Roboamo* adhaeserunt postquam a *Jeroboamo* idololatria in Regnum Israël invecta est.

Objic. XCVI. *Lib.* III. *Reg.* XV. 5. dicitur in omnibus servasse *David* praecepta Domini, nec ab iis omni vitae suae tempore declinasse, *excepto sermone Uriae Hethaei*, tamen et in iisdem libris alia *Davidis* facta leguntur, quae sine dubio peccata fuerunt, *ex. gr.* quod ita percitus universam familiam *Nabal Carmeli* trucidare paraverit, et fecisset utique, nisi eum placasset *Abigail* I. *Reg.* XXV. 34. quod inaudita crudelitate Ammonitas cruciaverit II. *Reg.* XII. 31. quod populi censum contra Dei voluntatem instituerit II. *Reg.* XIV. aliaque ejusdem generis. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Dicitur peccasse *David* dumtaxat in *Uria Hethaeo*, quia reliqua ejus peccata, vel aliqua ratione excusari, minuique aliquo colore poterant, vel magno illi sceleri, quo adulterium simul, et infandum homicidium commisit, comparata, ignoscenda potius in homine Rege humanae infirmitati videbantur, *conc.* Quia nihil aliud peccavit, *neg.*

Digitized by Google

Reliqua vero, quae *Davidi* objiciuntur ab incredulis, *ex. gr.* quod moriens, *Joab* et *Semei* interfici jusserit, quod *Salomonem* Bethsabea natum *Adoniae* majori natu praetulerit etc. etsi daremus, quod falsum est, minus recte facta, non ideo tamen nutaret Scripturarum veritas, quae res enarrant uti gestae sunt. Sed quo pacto recte facta esse defendantur, vide apud interpretes, *Duguetum, Calmet, Bullet, Du-Clot, etc.*

Objic. XCVII. III. *Reg.* XVI. 7. *Baasa* Rex Israël occidit *Jehu filium Anani prophetam*; et tamen II. *Paralip.* XIX. 2. *Jehu* filius *Anani* propheta occurrit Regi *Josaphat* quadraginta circiter post annis. Alterutrum ergo falsum est.

℟. *Neg. cons.* *Jehu* enim ille, quem occidit *Baasa*, alius censetur esse ab illo, qui Regi *Josaphat* obviam ivit; neque est insuetum praesertim apud Hebraeos, ut cognomines parentes, cognomines etiam filios habuerint, ut post *Sanctium* observat *Tirinus.*

Objic. XCVIII. III. *Reg.* XVIII. 1. *Post dies multos factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio dicens: Vade, et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terrae.* Ait autem Apostolus Jacob *Jac.* V. 17. non pluisse *annos tres, et menses sex.* Ergo.

℟ *Neg. cons.* Annus enim tertius in III. *Reg.* XVIII. 1. non est ab ea die inchoandus, qua pluvia cessavit; sed ex quo Propheta a Samariae finibus discesserat, cujus rei historiam auctor in superiori *Cap.* XVII. descripserat. Erat igitur tunc annus tertius, ex quo ille Samaria discessit, sed quartus, ex quo pluvia cessavit.

Objic. XCIX. IV. *Reg.* IX. 27. Cum *Jehu* contra *Joram* Regem Israël rebellasset, cumque sibi occurrentem occidisset, *Ochozias* Rex Juda, qui simul cum *Joram* obviam *Jehu* venerat, *videns hoc fugit per viam domus horti, persecutusque est eum Jehu, et ait: Etiam hunc percutite in curru suo: et percusserunt eum in ascensu Gaver, qui est juxta Jeblaam, qui fugit in Maggeddo, et mortuus est ibi. Et imposuerunt eum servi ejus super currum suum, et tulerunt in Jerusalem, sepelieruntque etc.* At vide nunc quomodo eadem *Ochoziae* mors in *Lib.* II. *Paralip.* XXII. refertur. *Cum ergo everteret Jehu domum Achab, invenit prin-*

Digitized by Google

cipes Juda , et filios fratrum Ochoziae , qui ministrabant ei , et interfecit illos. Ipsum quoque perquirens Ochoziam , comprehendit latitantem in Samaria , adductumque ad se occidit , et sepelierunt eum etc. Non videntur ergo ista tam contraria ab uno Dei Spiritu esse dictata.

℟. *Neg. cons.* Facile enim utraque narratio conciliari poterit , si dicamus , fugientem *Ochoziam* (qui et *Joachaz* dicitur II. *Paralip. XXI.* 17.) a militibus *Jheu* vulneratum quidem in ascensu Gaver , non tamen interfectum, venisse in *Maggeddo* , atque inde , cum non se ibi satis tutum existimaret, clam profectum Samariam , ibique latitasse ; sed conquisitum ac deprehensum a ministris *Jehu* reductum esse in Maggeddo ; ibique occisum, relatumque Jerusalem, ac sepultum. Possumus etiam cum *Malvenda* , aliisque viris doctis respondere, Samariam, ubi *Ochozias* latitans deprehensus est , non ipsam Samariae urbem hic significare , sed Regnum , ita ut quod in Maggeddo accidit, id in *Samaria* , hoc est in Samariae regno factum esse dicatur.

Objic. C. IV. *Reg. X.* 12. *Cum venisset* (Jehu) *ad Cameram pastorum in via , invenit fratres Ochoziae Regis Juda ... Quos cum comprehendissent viros, jugulaverunt eos in cisterna juxta cameram , quadraginta duos viros , et non reliquit ex eis quemquam.* Constat autem , omnes *Ochoziae* fratres jamdiu fuisse ab Arabibus interfectos , imo ideo *Ochoziam* regno potitum, quamvis natu minimus inter fratres esset , quia omnes ejus fratres deleti fuerant. *II. Paralip. XXI.* 17. *Et ascenderunt* (Arabes) *in terram Juda, et vastaverunt eam, diripueruntque cunctam substantiam , quae inventa est in domo Regis* (Joram patris Ochoziae) *insuper et filios ejus, et uxores , et non remansit filius , nisi Joacahaz* (is est Ochozias) *natu minimus.* Mortuo autem *Joram* , *II. Paralip.* XXII. 1. *constituerunt habitatores Jerusalem Ochoziam filium ejus minimum Regem pro eo ; omnes enim majores natu , qui ante eum fuerant, interfecerant latrones Arabum, qui irruerant in castra.* Falsus ergo videtur auctor *Lib. IV. Reg. X.* 12.

℟. *Neg. cons.* Fratres enim , ut saepe diximus , in Scripturis appellantur non solum germani , aut uterini,

sed utcumque cognati. Germanos igitur *Ochoziae* Arabes interfecerant, reliquos vero vel fratrum filios, vel alia ratione propinquos, et cognatos interfecit *Jehu*.

Objic. CI. IV. *Reg* XIV. 3. *Et fecit* (Amasias Rex) *rectum coram Domino . . . . nisi hoc tantum, quod excelsa non abstulit; adhuc enim populus immolabat, et adolebat incensum in excelsis*. Contra vero in *Lib. II. Paralip.* XXV. 14. haec de eo scripta sunt: *Amasias vero post caedem Idumaeorum, et allatos deos filiorum Seir, statuit illos in deos sibi, et adorbat eos, et illis adolebat incensum*. Hoccine erat rectum facere coram Domino? Ergo.

℟. *Dist. ant.* Fecit *Amasias* rectum coram Domino initio regni sui, sicut fecerat *Joas* pater suus, cujus initia regni bona, postrema vero pessima fuerunt, *conc.* Fecit rectum coram Domino omnibus regni sui temporibus, *neg.* Victoria enim, quam de Idumaeis retulerat, elatus, in idololatriam delapsus est; quam ob causam tanta ei incubuerunt mala, quae tum in *IV. Lib. Reg. XIV.* tum in *II. Paralip.* XXV. memoriae prodita sunt.

Objic. CII. IV. *Reg.* XV. 7. *Dormivit Azarias cum patribus suis; sepelieruntque eum cum majoribus suis in civitate David.* In Libro autem II. *Paralip.* XXVI. 23. legitur: *Sepelierunt eum in agro regalium sepulcrorum, eo quod esset leprosus.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Ager enim regalium sepulcrorum in civitate David, seu proximus ei erat, ideoque eo in agro sepultus *Azarias* recte dicitur sepultus in civitate David cum majoribus suis, quamvis quia lepra correptus fuerat, non in communi cum majoribus suis sepulcro, sed prope illud positus fuerit.

Objic. CIII. IV. *Reg.* XVIII. 5. De *Ezechia* haec habet Auctor: *Itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Juda; sed neque in his, qui ante eum fuerunt.* Sed praeterquam quod semper *David* in sacris litteris cunctis ejus nepotibus, atque in regno successoribus anteferatur; sic in IV. *Reg.* XXIII. 25. de *Josia Ezechiae* successore idem habet auctor: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde suo, et in tota anima sua, et in universa virtute sua juxta omnem legem Moysi, neque post eum*

surrexit similis illi. Ipsum igitur superavit *Ezechiam*; de quo scripserat Auctor, nullum post eum Regem fuisse illi similem. Ergo.

Dist. ant. Nullus ei similis *secundum quid*, *conc. Absolute*, *neg.* Quod igitur primo loco de *Davide* objectum fuerat, advertendum est, neque *Ezechiam*, neque *Josiam* cum eo fuisse ab auctore comparatum, sed dumtaxat cum praecedentibus *Judae* Regibus, quatenus a Regibus Israël, qui Samariae regnabant, distincti erant, postquam decem tribus a *Roboamo* defecerant. Sed quamvis ad ipsum *Davidem* referri sermonem placeat, aliquo etiam pacto potest affirmari, *Ezechiam*, et *Josiam* in aliquibus eo fuisse superiores, quia scilicet ab iis peccatis, quae *David* insigni poenitentia deflere debuit, fuerunt immunes. Quod vero ad *Ezechiam*, et *Josiam* pertinet, de utroque dici vere potuit, alterum fuisse altero superiorem; ideoque neque post *Ezechiam* fuisse alium ei similem, nec ante *Josiam* alium similem fuisse regem; cum uterque in tam egregia pietate, religione, justitia, defectum habuerit aliquem, quo alter caruit. *Itaque aequalitas sanctitatis*, inquit Tirinus, *inter hos tres* (David, Ezechiam, Josiam) *hic non negatur, sed sola similitudo morum, gestorumque . . . . Simili prorsus modo Ecclesia de singulis Confessoribus Pontificibus canit: Non est inventus similis illi, qui custodiret legem Excelsi.* Vide etiam *Estium*, *Tostatum*, *Sanctium*, *Menochium*, *Calmetum etc.* Responderi etiam potest, hunc fuisse consuetum apud Hebraeos loquendi modum, ut in alicujus singulari virtute laudanda, nemo melior illo esse dicatur, aut similis, sicut etiam latini dicunt: *Nihil eo justius, nihil fortius, nihil continentius etc.*

Objic. CIV.IV. *Reg.* XXII. 8. Dicitur *Helcias* Sacerdos regnante *Josia* librum legis invenisse casu inter antiqua, et obsoleta, quae in thesauro templi erant. *Dixit autem Helcias Pontifex ad Saphan scribam: Librum legis reperi in domo Domini.* Tanta autem fuit libri illius novitas, ut eo lecto, Rex obstupuerit, magnoque terrore correptus sit. Non ergo apparuit liber ille, nisi octingentis post *Moysen* annis, quod magnam ingerit suspicionem, illum a Sacerdotibus fuisse compositum,

sicut tot antiquae scripturae in Tabulariis, sive *Archivis* inveniuntur fictitiae; ideoque nutat omnis saltem *Pentateuchi* veritas.

℞. *Neg. cons.* Falsum enim est, tunc primum apparuisse librum legis. Etenim ante *Josiam Josaphat II. Paralip.* XVII. 7. *et seq.* misit legis doctores, *docebatque populum in Juda, habentes librum legis Domini, et circuibant cunctas urbes Juda, atque erudiebant populum.* Ante *Josaphat*, *David* jussit in translatione Arcae omnia servari praecepta legis *I. Paralip.* XV. Praeceperat etiam Moyses *Deuter.* XXXI. 10. ut septimo quoque anno convenientibus cunctis filiis Israël legeretur a Levitis liber legis Domini coram omni populo, et Prophetae omnes legem Mosaicam servandam assidue praedicabant. Ipse *Josias* ante inventum ab *Helcia* librum, religionem ad pristinum splendorem revocare studuerat, quod sine libris Mosaicae legis fieri non poterat. Quamvis autem demus, scelestissimos Reges *Achaz*, *Manassen*, *Amon* non solum legem Dei violasse, sed et libros combussisse, quod a nonnullis assertum, non habet ullum in Scripturis fundamentum; num credibile est nullum in manu hominum piorum, Sacerdotum, Prophetarum exemplar remansisse? Quapropter putandum est, librum ab *Helcia* inventum fuisse ipsum *autographum*, quod a *Moyse* in latere Arcae positum fuerat *Deuter. XXXI.* 26. quodq. sub impiis Regibus vel amissum, vel de industria ab aliquo Sacerdote inde ablatum, atque absconditum in templi thesauro, tandem sub *Josia* feliciter inventum, ea ipsa ratione, quia a Moyse scriptum erat, magnum Regi terrorem incussit. Vide Calmet *in Comment.*

Objic. CV. IV. *Reg.* XXIV. 5. *Dormivit Joakim cum patribus suis.* Et tamen Jeremias *Jerem.* XXII. 19. praedixerat de eo: *Sepultura asini sepelietur, putrefactus, et projectus extra portas Jerusalem.* Non ergo prophetiae respondit eventus.

℞. *Neg. cons.* Quod enim ait: *Dormivit Joakim cum patribus suis*, nihil aliud significat, nisi eum fuisse mortuum, quod non impedit, quominus honore sepulturae caruerit. Quae autem contra miracula Eliae et Elisaei objiciunt, praetermittimus. Vel enim illa Deo possibili esse anegant, vel concedentes esse possibilia,

facta tamen fuisse inficiantur. Si primum dicant, insaniunt, sin alterum. argumenta falsitatis adferre debent evidentissima, quod facere nunquam poterunt. Nos enim postquam Scriptores sacros divinitus fuisse inspiratos ostendimus, quidquid ab eis narratur, falsum esse non posse, recte concludimus. Vide *Du Clot*, aliosque supra laudatos.

Objic. CVI. Multa sunt in libris *Paralipomenon*, quae veritati sacrae historiae, prout in aliis libris habetur, non videntur congruere. Saepe nomina virorum et loca inter libros *Regum*, et *Paralipomenon* discrepant, sicut, etiam annorum, aliarumque rerum numeri. Sic praepositi operarum templi, qui *III. Reg. V.* 16. dicuntur termille, et trecenti, in *II. Paralip. II.* 2. ponuntur termille, et sexcenti. Et in *III. Reg. XVI.* 6. Baasa Rex Israël vigesimosexto anno regni Asa mortuus est; et tamen *II. Paralip. XXI.* anno trigesimosexto regni Asa, ascendit Baasa rex Israël in Judam. Similiter *II. Paralip. XXII.* 2. *Ochozias* quadraginta duorum erat annorum cum regnare coepisset post mortem patris. At pater ejus mortuus est, cum quadraginta esset annorum, in quo perspicua est falsitas, cum non potuerit Ochozias esse duobus annis major patre suo. Et cetera ejusdem generis in Libris *Paralipomenon* occurrunt. Ergo.

Respondet Calmetus *Praefat. in Paralip. Variantia quaedam in nominibus, locisque designandis inter libros* Regum, *et* Paralipomenon *resultant. Sicut etiam numerus quandoque annorum, census, et nomina virorum discrepant: unde contra librorum sacrorum auctoritatem Sacrarum Scripturarum adversarii deducunt, quorum cavilli si tandem evicerint, ut auctoritas eorum librorum in dubium revocetur, quae tandem erit satis explorata, et ab omni suspicione immunis historia? Nihil enim magis spectatae antiquitatis, et fidei in historia uspiam occurrit, quam quae de expeditionibus Alexandri Magni posteritati commissa est; quot enim viri amplissimi, sapientia, fide, et diligentia insignes coaeva scribentes, strenua illius ducis decora scribere non susceperunt? eos tamen vel in censu copiarum ipsius, in subjectarum urbium dinumeratione, sicut et in occisorum hostium summa, atque devictarum gentium, et urbium nominibus numquam convenisse constat Quis au-*

tem historiam ejus principis suspicionis arguere, vel in dubium revocare audeat? . . . An forte supra fidem est, libros tam longa traditione, atque saeculorum successione ad nos usque transmissos, corruptionis aliquid in adscriptionibus temporum, et numerorum notulis contraxisse?

Objic. CVII. *I. Paralip.* VII. 24. De *Ephraim* sic habetur: *Filia ejus fuit Sara, quae aedificavit Bethoron inferiorem, et superiorem, et Ozensara.* Hoc autem videtur absurdum, cum Ephraimi filia in Ægypto nata, ac mortua fuerit, nec ibi manens tres civitates in terra Chanaan aedificare ullo modo potuerit, nisi dicere velis, illam annis vixisse circiter ducentis. Adde quod in *II. Paralip. VIII.* 5. Salomon extruxisse dicitur *Bethoron* inferiorem, et superiorem. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Filii enim dicuntur in Scripturis etiam nepotes, pronepotes etc. Erat igitur *Sara* una ex neptibus, vel proneptibus *Ephraim*, quae urbes illas aedificasse dicitur, non quia a fundamentis excitavit; fuerant enim conditae antequam Israëlitae terra Chanaan potirentur; sed quia eversas restituit. Salomon autem eas denuo multis post annis instauravit, murisque circumdedit; unde dicitur: *Extruxit Bethoron superiorem, et Bethoron inferiorem, civitates muratas habentes portas, et vectes, et seras.*

Objic. CVIII. *II. Paralip. V.* 11. Scribens auctor de sollemnitate, qua arca Dei in sanctuarium, regnante Salomone, inlata est, ait: *Nec adhuc in illo tempore vices, et ministeriorum ordo inter eos* (Sacerdotes) *divisus erat.* Atqui divisio illa, et ordo, et vices ministeriorum, jam olim a Davide per sortes instituta esse scribit *I. Paralip. XXIV.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Nonnulli enim interpretes respondent, institutas quidem sub *Davide* vices, et ordinem sacerdotalium munerum; nondum tamen eo tempore, quo arca in sancta sanctorum illata est, executioni mandata; quod confirmant ex *II. Paralip. VIII.* ubi expresse legitur, post eam sollemnitatem, Salomonem *constituisse juxta dispositionem David patris sui officia sacerdotum in ministeriis suis.* Alii vero melius respondent, verba illa *non erat divisus* ministeriorum ordo idem significare, ac si scriptum esset: ordo ministerio-

rum non fuit in sollemnitate illa servatus, propter multitudinem victimarum, quae tunc oblatae sunt, cum praesertim in Hebraico textu non sit vox illa *adhuc*, et ante ea verba, quae in objectione posita sunt, praecedant haec alia: *Omnes enim Sacerdotes, qui ibi potuerant inveniri sanctificati sunt*, unde subnectitur: *Nec in illo tempore vices, et ministeriorum ordo inter eos divisus erat*; hoc est non servata ulla divisio.

Objic. CIX. Quae scribit Auctor *Lib. II. Paralip. VIII.* 18. nulla ratione explicari posse videntur. Ait enim: *Tunc abiit Salomon in Asiongaber, et in Ailat ad oram maris rubri, quae est in terra Edom. Misit autem ei Hiram* (Tyriorum Rex) *per manus servorum suorum naves, et nautas gnaros maris, et abierunt cum servis Salomonis in Ophir.* Quis autem nescit, e portu Tyrio, qui est in mediterraneo mari, non posse naves in *Asiongaber* appellere, cum haec urbs ad Elaniticum rubri maris sinum posita, centum circiter millibus passuum distet a mediterraneo, cum quo nequaquam communicat, latissimo interjecto isthmo? Debuissent Tyriae naves e mediterraneo mari in oceanum per fretum Gaditanum transire; atque ita longissimum circum Africae littora cursum circumflectere, zonamque torridam pertransire, ut tandem in Arabicum sinum, atque in *Asiongaber* pervenirent; quod est prosus incredibile, cum nondum inventus esset magnetis usus, putarentque homines, torridam zonam pertransiri non posse. Quaenam autem terra fuerit *Ophir*, unde ingentem auri, atque argenti vim Jerosolymam importare potuerint nautae *Salomonis*, definiri hucusque non potuit. Aliud vero accedit incommodum quod in *Lib. II. Paralip. IX.* 21. legimus *Salomonis*, atque *Hirami* classem navigasse in *Tharsis*, unde tanta auri, atque argenti copia advecta est, ut *argentum in illis diebus pro nihilo reputaretur.* Constat autem, neque ex *Asiongaber* in *Tharsis*, sive Tarsum, quae in Cilicia est, navigari posse; neque esse tales in Cilicia argenti, et auri fodinas, quae tantas afferre divitias possent, multoque minus simias, et pavos, et aromata, et ebur, quae etiam e Tharsis advecta esse scribit auctor. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Stultum enim est negare factum aliquod ab auctoribus vel coaevis, vel ei proximis memoriae pro-

ditum, quasi impossibile fuerit; quod quidem pluribus modis fieri potuit, licet quo praecipue modo factum sit, in tanta temporum antiquitate ignoremus. Naves igitur Hiram e portu Tyrio in *Asiongaber* pluribus modis pervenire potuerunt. Nonnulli enim docent, e Nilo flumine, quod in Mediterraneum mare influit ductum olim fuisse euripum, sive canalem satis amplum usque ad mare rubrum, ut faciliora inter Ægyptum atque Asiam commercia essent; quod opus certe antiqua Ægyptiorum Regum magnificentia dignum erat. Per hunc igitur canalem e Tyrio portu profectae naves, atque in ora Nili fluminis delatae in mare rubrum pervenisse, nonnulli affirmant. Vide Huetium in Dissertatione *De navigationibus Salomonis*. Sed quia Aristoteles *Lib. I. Meteor.* et Strabo *Lib. VII.* euripum illum a *Sesostri* coeptum esse scripserunt; Herodotus *Lib. II.* a *Nechos*, alii a *Dario* Persarum Rege, a nullo tamen perfectum ante *Ptolemaeum. II.* Ægypti regem, quos omnes post aetatem Salomonis regnasse nonnulli volunt, idque de *Dario*, ac *Ptolemaeo* certum est; ideo alii putant, Tyrias naves in Pelusiaco portu dissolutas, planstrisque, ac camelis in mare rubrum devectas, ibique iterum compactas esse. Quod facile fieri potuisse ex similibus profanae istoriae exemplis probant. *Semiramis* enim Assyriorum regina ejusmodi naves, quae facile et dissolvebantur, et compingebantur, habuit, ut quocumque opus esset, per terram circumferrentur, ut Diodorus Siculus *Lib. II.* auctor est. Item *Alexander* magnus, ut Arrianus *Lib. VII.* et Strabo *Lib XVI.* referunt. Idem denique posterioribus saeculis *Mahumetem II.* fecisse constat, qui naves per Corinthiacum Isthmum ex uno in alterum mare traduxit. Verum, his omissis, fieri facile potuit, idque verisimillimum est, Tyrios Reges jampridem classem in mari rubro habuisse, quam *Hiram* Salomoni commodavit. Ipse enim Salomon in eodem mari classem instruxit, ut communi consilio, atque sumtu cum classe Hiram navigationes, et commercia agitarentur, *III. Reg. X.* 22. *Quia classis Regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis.*

De regione etiam *Ophir* fatemur, multas esse sententias eruditorum, quas videre potes apud Calmet tum in *Dissertatione de Ophir*, tum in *Dictionario*; non

inde tamen efficitur, eam esse fabulosam; cum enim e portu *Asiongaber* in Indiam, Africam, Americam navigari possit, atque in multas regiones feracissimas auri, argenti, aliarumque rerum, quas ex *Ophir* Salomonem adduxisse Scriptura refert: mirum non est varie opinatos esse auctores. Ceterum *Tharsis* non Ciliciam esse dicimus, sed alias regiones in australi tellure, quo ex *Asiongaber* navigari poterat, quamvis eas Hebraei eodem *Tharsis* nomine appellaverint, cum solerent ipsi longinquas terras, quarum nomina ignorabant, vel ab Hebraica lingua aliena erant, eisdem designare nominibus, quibus viciniora, ac notiora loca appellabant, propter quamdam scilicet inter ea loca similitudinem. Hinc illud quod postremo loco veluti absurdum objectum erat facile explicatur.

Objic. CX. *II. Paralip.* XIV. 2. *Fecit Asa quod bonum, et placitum erat in conspectu Dei sui, et subvertit altaria peregrini cultus, et excelsa.* At in sequenti *Cap. XV.* 17. ait auctor: *Excelsa autem* (regnante Asa) *derelicta sunt in Israël.* Quod et in *Lib. III. Reg. XV.* 14. expresse legitur : *Excelsa* autem (Asa) *non abstulit.* Contradictio igitur videtur manifesta, ac repugnantia.

℟. *Neg. cons.* Duplicis enim generis *excelsa* erant in Israël; alia quippe editiora quaedam erant in montibus loca, ac fana, in quibus falsa numina colebantur; alia, in quibus vero Deo sacrificia offerebantur. Utraque autem illicita erant; priora quidem lege naturali; posteriora vero lege positiva, cum vetitum a Domino esset extra eum locum, quem ipse destinaverat, et in quo arca posita erat, sacrificia offerre. Igitur prioris generis *excelsa* abstulit *Asa*; unde inquit auctor: *subvertit altaria peregrini cultus, et excelsa*, hoc est altaria, atque excelsa peregrini cultus, sive falsis numinibus dicata. Posterioris autem generis excelsa reliquit, vel ad majora, ut putabat, vitanda mala, vel quia non est ausus, propter peccantium multitudinem, auferre malum longe, lateque pervagatum. Qua quidem in re adversus necessariam in Regibus fortitudinem, et divinae legis zelum peccavit; sed quia non falsa in excelsis illis numina, aut idola colebantur, idcirco dicitur fecisse Asa *bonum*,

et placitum in conspectu Dei. Vide *Estium*, *Tirinum*, *Calmet*, aliosque in *commentariis*.

Objic. CXI. *II. Paralip. XXXIV.* 26., *et seq. Haec dicit Dominus Deus Israël* (Josiae Regi): *Quoniam audisti verba voluminis, et emollitum est cor tuum etc. . . . . . . ego quoque exaudivi te , dicit Dominus. Jam enim colligam te ad patres tuos , et infereris in sepulcrum tuum in pace.* Et tamen idem ille Rex religione, ac pietate insignis profectus cum exercitu adversus *Pharaonem Nechao* Ægypti Regem, commisso praelio in campo Mageddo vulneratus a sagittariis, relatusque Jerusalem mortuus est *II. Paralip. XXXV.* 23. Falsa igitur fuisse videtur praedictio, atque promissio, quam divinitus factam esse , Scriptura affirmat.

℟. *Neg. cons.* Primo quia divina promissio eo solum spectabat, quod *Josias* propter summam ejus religionem, ac pietatem , non esset suis ipse oculis visurus ingentia mala , atque calamitates , quae Jerosolymis , totique genti Judaicae, propter scelera, atque idololatriam imminebant; ideoque antequam illa acciderent, dum stabat adhuc Jerusalem, populusque omnis pace fruebatur, Josias esset moriturus. *Jam enim*, inquit, *colligam te ad patres tuos , et infereris in sepulcrum tuum in pace , nec videbunt oculi tui omne malum , quod inducturus sum super locum istum, et super habitatores ejus.* Quam quidem praedictionem , ac promissionem confirmavit eventus. Deinde quia ipse *Josias* non Dei jussu , imo contra Dei voluntatem, non necessarium adversus Pharaonem *Nechao* bellum susceperat; ideoque suae ipsius temeritati mortem suam tribuere debuit. Cum enim *Nechao* adversus Regem Assyriorum profectus esset, monuissetq.° per nuncios Josiam : *Quid mihi, et tibi est , Rex Juda? Non adversum te hodie venio , sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinato ire praecepit , desine adversus Deum facere , qui mecum est , ne interficiat te. Noluit Josias reverti, sed praeparavit contra eum bellum, nec acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei , verum perrexit , ut dimicaret in campo Maggeddo II. Paralip. XXXV.* 21. Addit auctor *Lib. III. Esdrae* quamvis canonicus non sit ille liber , *Josiam* a Propheta (quem *Hieronymus Jeremiam*

putat) admonitum, ne contra Pharaonem pugnaret, sanioribus consiliis acquiescere noluisse.

Objic. CXII. In Libro *Job* inducitur Deus disputans cum *Sathana*, sive Diabolo, qui sponsione quadam cum Deo contendit, *Jobum*, cujus virtutem commendabat Deus, peccaturum, si miseriis afflictaretur. Permittente autem Deo, ac veluti sponsionem accipiente, vir ille sanctus primum bonis omnibus spoliatus, liberis orbatus, deinde ulcere pessimo percussus, in verba erumpit, quae mali impatientiam produnt *Cap. III.* 1. *Maledixit diei suo, et locutus est : mereat dies in qua natus sum . . . . . Quare non in vulva mortuus sum ? egressus ex utero non statim perii ? . . . . nunc enim dormiens silerem ; et somno meo requiescerem.* Addit vero *Cap.* VI. *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas, quam patior, in statera ; quasi arena maris haec gravior appareret* ; amicisque suis objicientibus, neminem sine aliqua culpa a Domino castigari, constanter regerit, se plecti innoxium. Atqui haec absurda videntur. Nam 1.° Deum cum Diabolo sponsione contendere de virtute *Jobi*, prorsus a Dei majestate alienum est. 2.° Vel fatemur, in verbis *Jobi* impatientiam, et peccatum inesse, et fateri cogemur in sponsione illa diabolum vicisse, Deum autem fuisse superatum, quo quid indignius? Vel affirmamus, *Jobum* in vehementioribus illis sententiis non peccasse, et hinc consequetur, licere homini optare mortem ad mala temporalia vitanda, imo posse illum optare, ut mortuus sit in utero matris, ex quo sequitur, vel non esse peccatum originale, vel posse hominem, ex impatientia malorum vitae temporalis, optare potius aeternam poenam. 3.° Peccata venialia, quae *Job* se admisisse fatetur, esse minora, quam temporalia mala, omnibus Theologiae principiis repugnat. Hinc nonnulli viri docti, rei difficultate deterriti vel librum illum e Sacris Scripturis rejecerunt, ut *Theodorus Mopsuestenus in Act. V. Syn. Collat.* 4 *Julius Africanus, Anabaptistae etc.* vel putarunt esse Tragoediam quamdam, in qua confictae personae *Jobi*, et amicorum ejus inter se de Dei providentia per plures *Actus*, et *Scoenas* disputant, donec Deus e nube, cum esset nodus vindice dignus, senten-

tiam suam profert, ac *Jobo* caussam addicit; alii alias ad rem explicandam iniere rationes.

℞. *Neg. min. Ad 1m* In comperto est, Diabolum adversus homines, praesertim sanctos, odio atque invidia tabescentem nihil contra eos, nisi permittente Deo, moliri posse, ut nos *Lib. V. Part.* 2. ostendimus. Cum ergo Deus sit ubique praesens, nihil est absurdum, quod praeter Angelos sanctos, qui semper domino adstant, atque ministrant, adfuerit etiam Deo *Sathan*, cum creatae res omnes ubicumque inveniantur, illius immensitati semper praesentes sint, quodque Deus Diabolo *Jobum* perdere, atque ad maledicendum Deum compellere molienti, permiserit eas artes experiri, quas ille sine dubio non cariturus effectu arbitrabatur. Ceterum colloquium illud inter Deum, atque Diabolum per metaphoram intelligendum est, atque ex ingenio linguae orientalis, et poëtico *Jobi* stilo proficiscitur, nec aliud significat, nisi diaboli cogitationes, Deique permissionem. Ita *Origenes*, *Augustinus*, *Gregorius M. Salvianus*, *Cajetanus*, *Mariana*, *Scultetus*, *Mercerus*, *Grotius*, aliique.

Ad 2m. Dicimus, *Jobum* non admisisse peccatum illud blasphemiae, et maledicti in Deum, quod Diabolus eum commissurum esse praedixerat, nec providentiae Dei detraxisse, neque graviter peccasse, ideoque quamvis vehementissima tentatio fuerit, vicisse tamen gratiam Dei. Nihilominus tantis oppressus malis, quorum singula fortissimum quemque frangere potuissent, spoliatus bonis, orbatus liberis, a pedibus usque ad verticem tali ulcere coopertus, ut scateret vermibus, jacensque in sterquilinio vir antea ditissimus saniem testa raderet, ardentissima correptus febri, talique adfectus macie, ut ossibus pellis quodammodo adhaereret, et relicta tantummodo essent labia circa dentes ejus, ab uxore exprobratus, ab omnibus derelictus amicis, idque non brevi tempore sustinens, in luctus tandem, et lacrymas erupit, inter quas fatemur, nonnulla ei excidisse venialia peccata, quae deinde advertens, atque a Deo admonitus, paenitentia retractavit, ac tersit *Job. XLII.* 6. Pulchre Calmet in *Cap. III. Job*, *Verbis*, inquit, *Job sensus appingendus est, qui procul absit a blasphemia, atque impatientia, quas praeseferre primo aspectu videntur. Non*

ideo tamen adeo excusandus est Job, ut actionem illius laudare etiam velimus. Singula ipsius verba nequaquam probare conamur; quaedam enim acria nimis, ac violenta videntur, ac heros noster similis, prope dixerim, bellatori fuit, qui hostis impetum fortiter propulsat, ipsumque demum prosternit, atque confodit, non tamen quin et ipsi quaedam vulnera fuerint inflicta. Job spiritu blasphemiae tentatur; intrinsecus acerrimis doloris stimulis urgetur; eos patitur pluribus fortasse mensibus, quin ullum questum edat; tandem luctus, ac lacrimae excidunt, cor ipsius coram amicis effunditur, dolorem suum acribus sane, vehementibusque vocibus testatur, quin tamen illi obsit reverentiae, quae providentiae, ac sapientiae Domini debetur; in quibus omnibus nihil adest, quod ab adversariis acerbe adeo notari, ac reprehendi mereatur. Nonnihil acutissimo dolori conceditur, veluti aegro acerrimis morbi cruciatibus laboranti.

Quod ergo ait: *Pereat dies in qua natus sum*, nihil aliud significat, nisi tantam esse doloris vehementiam, ut praeclare secum actum esset, si in ipso mortuus esset nativitatis die, nec tantis cruciatibus reservatus, tamque vehementi tentationi, et periculo in Deum offendendi. Simili locutione usus est Jeremias *Cap. XX.* 14. quae quidem non aeterna mala cum temporalibus, sed temporalia cum temporalibus comparat. Nec tamen inde sequitur, posse aliquem illud deliberato animo exoptare, cum concedamus, ea in re Jobum saltem venialiter peccasse.

Quamvis autem *Job* ubique asserat, se esse innoxium a gravioribus scilicet peccatis, non ideo tamen providentiae detrahit divinae, sed respondet iis, qui eum propter peccata a Deo castigatum esse objiciebant; docetque, viros etiam justos propter alias sapientissimas causas a Deo probari calamitatibus posse, quae sententia vera est.

Ad 3m. Si textus Hebraici sententiam teneamus, omnis evanescit difficultas Cum enim Eliphaz *Cap. IV. et V.* Jobum impatientiae accusasset propter ea verba, quae in *Cap. III.* ob doloris acerbitatem protulerat: respondet *Job. Cap. VI.* ut habet Hebraica sententia: quam et *Chrysostomus*, *Pagninus*, *Vatablus*, *Mercerus*,

aliique sequuntur: *Utinam appenderetur in statera ira mea* (hoc est mei questus) *una cum mea calamitate: haec gravior esset, quam arena maris.* Quasi diceret: Ne graviter feratis quae sum in doloris vehementia, atque acerbitate conquestus; longe enim calamitate mea minora sunt. Imo, si cum *Estio* per *iram* intelligas ipsum irae Dei effectum, sensus erit planior: *Utinam poena mea, et calamitas in statera appenderetur, certe gravior appareret, quam arena maris.* Sed etsi Vulgatae sententiae inhaerere velis, non is est sensus, peccata venialia malis temporalibus minora esse, sed longe majora fuisse mala Jobi illis calamitatibus, quibus Deus veniales culpas in hac vita castigare consuevit; ideoque inquit, non propter peccata plector, sed alias ob caussas sapientiae Dei notas. Ceterum omnes Jobi sententias explicare non est hujus loci. Copiosissime ista tractat *Joannes Pineda* duobus voluminibus in Jobum.

Inst. Cap. XIV. 12. ait Job: *Homo cum dormierit non resurget.* Negat ergo resurrectionem mortuorum.

℟. *Neg. cons.* Ait enim, hominem naturaliter post mortem resurgere non posse ad mortalem hanc vitam. Ceterum resurrectionem aperte praedicat *Cap. XIX.* 15. Imo in hoc ipso loco *Cap. XIV.* ait, hominem non resurgere, sed addit: *donec atteratur caelum.*

Objic. CXIII. *Job. XLI.* 16. Loquens Deus de *Leviathan* quem nonnulli cetum, alii crocodilum intelligunt, haec habet: *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, et territi purgabuntur.* Atqui indigna Spiritu Sancto sententia ista videtur, nempe Angelos ita expavescere *Leviathan* caput attollentem, ut prae timore alvum laxent. Ergo.

℟. *Dist. min.* Si nomine Angelorum eo in loco Angelici spiritus intelligerentur, *conc.* Si potentes homines, robusti, atque impavidi, *neg.* Sensus ergo est, tantam esse monstri illius magnitudinem, ac robur, ut cum caput extulerit, non solum timidi, sed et fortes, atque impavidi quicumque homines expavescant, tantoque terrore corripiantur, ut ipsis id accidat, quod in magnis solet terroribus accidere. Hebraicus enim textus habet: *Fortes principes timore corripientur, cum se elevaverit obstupescent, ac atterentur.* Vide Calmet in Comment.

Objic. CXIV. In Psal. 1. aperte negat *David*, im-

pios esse in die judicii resurrecturos. *Ideo*, inquit, *non resurgent impii in judicio*; cum contra Paulus Apostolus omnes omnino resurrecturos pronunciet *II. Cor.* V. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*: et in Evangelio Christus ipse dicat *Joan.* V. 29. *Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* Quod enim in Psalmo dicitur: *non resurgent impii in judicio*, nihil aliud significat, nisi quod impii in judicio non stabunt, causa cadent, damnabuntur, prosternentur. Sic enim habet Hebraicus textus: *Ideo non subsistent improbi in judicio*; non stabunt in concilio, et congregatione justorum. Vel ea verba *non resurgent in judicio* cum *Theodoreto*, *Ambrosio*, *Hilario*, aliisque Patribus ita possunt explicari: non resurgent ut judicentur, sed ut damnentur, cum jam perspecta eorum, atque explorata malitia sit, et ad laevam judicis rejecti, jam quodammodo judicati sint. Quae quidem sententia, atque explicatio non est multum a priori diversa.

Objic. CXV. Saepe Psalmorum auctor, sive ii plures auctores sint, negare videntur immortalitatem animorum. Sic in *Psal.* VI. *Quoniam*, inquit, *non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?* Et in *Psal. XXIX. Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Item in *Psal. CXII. Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum. Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino.* Quibus similia habet *Isaias* in Cantico *Ezechiae Is. XXXVIII.* 18. *Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te . . . . . . Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie.* Et *Baruch. Cap. II.* 17. *Mortui non dabunt honorem, et justificationem Domino.* Quae quidem contraria videntur iis, quae Joannes habet in Apocalypsi *Apoc. VI.* 13. *Omnem creaturam, quae in caelo est, et super terram, et sub terra, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, et Agno benedictio, et honor, et gloria.* Et Apostolus *Philip. II.* 10. *In nomine Jesu omne genuflectatur caelestium, terrestrium, et infernorum.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* Quod enim ad *Psalmos*, et *Isaiam* pertinet, vel ibi per mortem naturalis corporis interitus intelligitur, per infernum vero sepulcrum; atque hoc sensu nihil aliud sibi Scriptores voluerunt, nisi mortuos non amplius viva voce in communibus hominum coetibus esse Deum laudaturos; quod non excludit alterius generis laudes, quas Deo a spiritibus corpore expertibus persolvi possunt. Vel mors ibi peccatum significat, infernus vero damnatorum carcerem; eoque sensu verum est, peccatores, maxime autem damnatos nec Dei meminisse, nec ejus in gaudio celebrare laudes, quamvis inviti, et coacti Dei, et Jesu Christi gloriam confiteri, eique subjici cogantur, ut ait Apostolus. Vide *Bossuetum*, *Tirinum*, *Menochium*, *Calmet*, aliosque in *Comment.*

Objic. CXVI. In *Psalm. XXXVI.* Talis super justos providentia divina describitur, ut nunquam eis necessaria desint. *Junior*, inquit, *fui*; *etenim senui*; *et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem*: scilicet quaerens, et non inveniens. Cui sententiae similis ea est, quae habetur in Proverbiis *Prov. X.* 3. *Non affliget Dominus fame animam justi.* Sed hoc et experientia, et historia, et ipsa sacrarum Scripturarum lectione falsum esse constat. *Usque in hanc horam*, inquit Apostolus, *et esurimus, et sitimus*, *et nudi sumus I. Cor. IV.* 11. Et Heb. XI. 36. *Alii vero ludibria, et verbera experti, insuper et vincula, et carceres*; *lapidati sunt*, *secti sunt*, *tentati sunt*, *in occisione gladii mortui sunt*; *circuierunt in melotis*, *in pellibus caprinis*, *egentes*, *angustiati*, *afflicti*, *quibus dignus non erat mundus.* Ergo.

℟. *Dist. maj.* In veteri Testamento, in quo temporalia etiam bona justis pollicebatur Deus, *conc.* in novo Testamento, *subdist.* Ut numquam illis desint necessaria ad salutem, *conc.* Ad vitam corporalem semper, *neg.* Falso quidam persuasum habent, inquit Estius (*Comment. in hunc l.*) *Deum numquam permittere, ut justus fame moriatur. Nam multi martyres fame enecti leguntur in Martyrologio* 12. Januarii, 3. Julii, et 23. ejusdem, 4. et 9. Octobris, et 22. Decembris:

item apud Cyprianum Epist. XXII. *Sed sensus est:* Non vidi justum derelictum, nec semeu ejus quaerens panem, *et non inveniens; non quod numquam id accidat secundum corporalem panem; sed quia Deus maxime in veteri testamento etiam corporaliter fere suis providit. Et quia omnia in figura contingebant illis, maxime de pane caelesti, et ipsa beatitudine intelligitur. Sic Hieronymus* super Amos VIII. *de hoc loco agens:* Quanti, *inquit*, martyres in persecutionibus perierunt fame, et indiguerunt frumento, alimentisque istis corporum! Ergo de eo dicit pane, qui de caelo descendit, quem qui comederit, nec esurire poterit, nec sitire. *Conferatur hic locus etiam cum eo, qui est* Prov. X. et Eccles. II. *Et sane si quaerens quis massam argenti, inveniat non argentum, sed massam auri, nemo tamen dixerit, eum derelictum, aut non invenisse quod volui. Ita nec hic.* Vide etiam Calmet, qui fusius de hac Psalmi sententia scribit.

Objic. CXVII. In *Psal.* CXXXII. errasse videtur auctor cum ait: *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*, quasi *Hermon*, mons sit *Sioni* vicinus, eoque sublimior, unde ros in *Sion* descendat; cum ex ipsa constet sacra historia *Deuteron.* IV. 48. montem *Hermon* longissime a *Sione* abesse trans Jordanem; eoque esse humiliorem testentur Geographi. Ergo.

℟. *Neg. ant.* In laudato enim Psalmi loco tacita repetitio est, Hebraicae linguae more, atque ingenio. Sic enim accipienda verba, atque intelligenda sunt: *Sicut ros Hermon, et sicut ros, qui descendit in montem Sion.* Ita passim plerique ea verba Interpretes explicarunt. Alii vero putant, *Sion* ibi generatim positum pro quocumque sterili, aridoque monte. Sed verisimilius videtur, in hoc Psalmi loco non montem illum, qui Jerosolymis erat, sed alium ejusdem nominis trans Jordanem designari, qui pars est montis *Hermon*, de quo *Deuteron.* IV. 48. ait Moyses: *Usque ad montem Sion, qui est et Hermon.* Quamvis enim alter iste mons in Hebraico textu per litteram *Sin* ש scriptum sit; cum prior per litteram *Tzade* צ scribatur; dicaturque *Tzion*: facile tamen fuit, unam in alteram litteram commutari.

Objic. CXVIII. Liber *Ecclesiastes* videtur ab homine

Digitized by Google

Epicureo Scepticove compositus. Ait enim *Eccl. III.* 19. *Unus est interitus hominum, et jumentorum, et aequa utriusque conditio . . . Nihil habet homo jumento amplius. . . . . . Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus jumentorum descendat deorsum?* Eccles. V. 17. *Hoc itaque visum est mihi bonum ut comedat quis, et bibat, et fruatur laetitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole numero dierum vitae suae, quos dedit ei Deus, et haec est pars illius*: quod et alibi repetit *Eccl.* IX. 5. *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem*, ibid. v. 11. *Verti me ad aliud, et vidi sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus, casumque in omnibus.* Praeterea vel mundi aeternitatem videtur asserere, vel plures sibi invicem succedentes Mundos, quorum uno diruto, eversoque, alter succedit: ait enim *Eccl.* I. 9. *et seq. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: ecce hoc recens est; jam enim praecessit in saeculis, quae fuerunt ante nos.* Quae verba Origenes *Lib. III. Periarch. cap.* 5. mundos sibi invicem succedentes adstruere putavit. Canticum vero canticorum carmen videtur amatorium, et profanum. Ergo.

℞. *Neg. ant.* Quod enim ad Ecclesiastem attinet, illud *Salomoni* (qui certissimus Libri illius est auctor, ut contra *Grotium* Calmet, aliique demonstrant) propositum fuit, ut ostenderet omnia, quae homines cupiditate sua allicere umquam possunt, sive divitias, sive voluptates, sive ipsam humanam sapientiam vana esse, nihilque esse solidum, ac stabile nisi timorem Dei, atque observationem omnium ejus praeceptorum, qui post mortalem hanc vitam omnes homines in judicium adducet, reddetque singulis pro operibus suis vel praemia, vel poenas; quam sententiam in fine ipsius libri tamquam operis totius Epilogum, ac perorationem ita explicat: *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo. Et cuncta, quae fiunt adducet Deus in judicium pro omni erruto sive bonum, sive malum illud sit.* Num haec

Epicurei hominis, Scepticive sunt? Sed ad hanc sententiam confirmandam, impiorum etiam hominum in toto opere opiniones, atque argumenta proponit, ac refutat, viri sapientis personam agit, qui variis sententiis, atque opinionibus, argumentisque propositis, omnia ponderat, ac discutit, libratisque momentis, sententiam tandem suam expouit et adstruit. Quamvis autem in eo libro Salomon nunc suas, nunc hominum impiorum sententias misceat, ac difficile prima fronte videatur, quid ex sua, quid ex aliorum sententia dixerit, discernere; id tamen ex ipso auctoris scopo facile erit intelligere. Verba autem illa: *Quid est, quod fuit? etc. Lib.* V. explicavimus.

Quod vero ad Canticum Canticorum, quod *Voltairius*, aliique impii homines nequaquam intelligentes temerare ausi sunt, atque ad profanos sensus detorquere; Ecclesia Christi Spiritu Sancto illustrata, atque edocta semper docuit, inhaerendum non esse litterae, quae occidit, sed spiritui, qui vivificat, et sub rerum sensibilium nominibus, ac signis, spiritualia nobis tradit, et inculcat.

Objic. CXIX. Auctor Libri Proverbiorum *Cap. XXVI.* 4. et 5. pugnantia loqui videtur. Ait enim: *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Ergo.

℞. *Neg. ant.* Non ita enim stulto juxta stultitiam ejus respondendum est, ut ei efficiamur similes, verba scilicet stulta proferentes; sed respondendum ei est, ut pro stultitia sua corripiatur, ne sibi videatur sapiens; ac proinde nulla in eo loco repugnantia sententiarum est.

Objic. CXX. Omnes passim Prophetae, qui vel ante Babylonicam captivitatem, vel post illam scripserunt, confidenter affirmant, nullam amplius post terribilem illam Jerosolymorum eversionem Judaeis calamitatem imminere, sed prospera illis omnia post eorum reditum ex Assyria in sempiternum futura. Sic *Isaias* LII. 1. *Consurge*, inquit, *consurge, induere fortitudine tua, Sion; induere vestimentis gloriae tuae, Jerusalem civitas sancti; quia non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus, et immundus.* Ezechiel XXXIX. 29. *Non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim Spiritum meum super omnem domum Israel, ait Domi-*

nus Deus Joel. III. 17. *Erit Jerusalem sancta, et alieni non transibunt per eam amplius . . . . Judaea in aeternum habitabitur, et Jerusalem in generatione, et generationem.* Amos *IX.* 15. *Plantabo eos super humum suam, et non evellam eos ultra? de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus* Nahum I. 12. *Haec dicit Dominus. . . . afflixi te, et non affligam te ultra . . . . . quia non adjiciet ultra, ut pertranseat in te Belial.* Atqui promissiones illas falsas fuisse probasse videtur eventus, cum primo Antiochus vehementer Judaeos afflixerit; deinde Romani funditus Jerosolymam everterint, Judaeosque omnes vel interfecerint, vel captivos abduxerint; tantamque ipsis cladem, et calamitatem intulerint, ut reparari amplius post tot saecula non potuerit. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Et haec de Jerusalem per allegoriam dicta sunt de Ecclesia Christi praesertim triumphante, *conc.* De terrestri Jerusalem, *neg.* Itaque Jerusalem illam terrenam, quae post Babylonicam captivitatem restituta est, evertendam iterum esse, ejusque excidium, ac desolationem perpetuo duraturam, manifeste Daniel *Cap.* IX. praedixit: *Civitatem, inquit, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio . . . . et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio.* Perpetua ergo illa pax atque felicitas, quam Jerosolymis Prophetae polliciti sunt, praecipue ad caelestem Jerusalem, sive ad Ecclesiam triumphantem pertinent; quamvis et militanti Ecclesiae convenire possint; quae licet ab iniquis oppugnata saepius, atque oppugnanda sit, vastari tamen numquam, nec deleri poterit. Quod si illa Prophetarum vaticinia terrenae etiam Jerusalem aptare velis; meminisse oportet quod saepe in *Institutionibus* observavimus in sacris litteris non semel perpetuum, atque aeternum pro tempore diuturno usurpari. Constat autem, soluta captivitate Judaeos, ac Jerusalem longâ pace usos esse, excepta illa Antiochi vexatione atque injuria; quae quoniam non diu duravit, et in majorem Judaicae gentis gloriam, et libertatem cessit, pro nihilo habita est.

Objic. CXXI. Praedicit Isaias *Cap.* II. 4. sub regno Messiae magnam futuram esse ubique pacem: *Et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad praelium.* At haec impleta non videmus, cum inter ipsos etiam Christianos jamdiu fuerint bella atrocissima. Ergo.

℟. *Neg. min. Verba enim Isaiae*, inquit Tirinus, *Hieronymus, et Eusebius restringunt ad tempus nativitatis Christi, quando Jano per Augustum tertium clauso, tutissima toto orbe pax fuit. Sed potest universaliter extendi ad omne tempus legis gratiae, non quod nulla futura sint bella, nec esse possint inter Christianos . . . . sed quod talia bella, qualia solent a tyrannis moveri, non sint movenda a Christianis, nempe si Christianae legi obsequantur, quae pacem ubique, et concordiam inculcat.*

Objic. CXXII. Praedicit Isaias *Is.* XXIII. 17. Tyrum a Rege Babylonis vastandam, et post annos septuaginta restituendam esse. *Et erit*, inquit, *post septuaginta annos visitabit Dominus Tyrum, et reducet eam ad mercedes suas.* Contra Ezechiel *Ezech.* XXVI. 14. numquam Tyrum restitutum iri praedicit. *Non aedificaberis*, inquit, *ultra . . . . requisita non reperieris ultra in sempiternum.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et haec *Ezechielis* praedictio de tempore diuturno potest intelligi, *conc.* De sempiterna duratione, *subdist.* Eo sensu quod Tyrus iterum aedificata numquam ad priorem splendorem, et gloriam perventura sit *conc.* Secus *neg.*

Objic. CXXIII. *Jerem.* IV. 10. Sic Deum Propheta alloquitur: *Heu, heu, heu Domine. Deus: ergo ne decepisti populum istum, et Jerusalem, dicens pax erit vobis; et ecce pervenit gladius usque ad animam.* Atqui haec injuriosa in Deum, atque blasphema locutio videtur. Non potuit igitur a Spiritu Sancto esse dictata.

℟. *Dist. min.* Injuriosa locutio est, si falso intelligatur, quasi Deus ipse *positive* populum deceperit, *conc.* Si vero sensu, quo a Spiritu Sancto dictata est, explicetur, *neg.* Primum igitur interrogatio illa: *Ergo ne decepisti?* non affirmantis, sed negantis est. Sed etsi af-

firmatio esse dicatur, sicut revera in Hebraico textu videtur significare, non tamen idcirco injuriosa in Deum est illa propositio, si sano, rectoque sensu intelligatur. Decipere enim dicitur Deus, indurare in malum, non *positive* in falsum, aut in peccatum inducendo, sed permittendo, hoc est non impertiendo gratiam, qua caveatur error, et peccatum impediatur, ac vitetur. Cum ergo falsi Prophetae Judaeis pacem annunciarent, *dicentes pax, pax et non erat pax Jerem.* VI. 14. quos Deus justo judicio non impediebat, imo cum ipse Deus *Jerem.* III. praedixerit pacem, quae longo post tempore, hoc est vel soluta captivitate, vel in novo testamento futura erat; quam pacem de praesenti illo tempore falso intelligi permittebat, decipere populum improprie dicitur, sicut et indurasse dicitur cor *Pharaonis*, et decepisse *Achab*, et praecepisse *Semei*, ut malediceret *David*, et alia ejusdem generis, quae in *Institutionibus* nostris suo loco explicavimus.

Inst. Ipse *Jeremias* divina illa promissione confirmatus, quae habetur *Cap.* I. 17. *Ne formides a facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum aereum, super omnem terram regibus Juda, principibus ejus, et Sacerdotibus et populo terrae, et bellabunt adversum te, et non praevalebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te*, cum se tamen videret et irrisionibus, et verberibus, et carcere, aliisque aerumnis afflictum, sic ait, *Jerem.* XX. 7. *Seduxisti me Domine, et seductus sum.* Non ergo impropriam tantum, sed et veram et propriam Deo seductionem, ac deceptionem tribuere videtur.

℟. *Neg. cons.* Duplex enim, ut advertit *Estius*, seductio esse potest; altera ex dolo ejus, qui rem falsam pollicitus est, altera ex illius ignorantia, qui promissionem alio sensu, quam eo, quo facta est, accepit. Non promiserat autem Dominus *Jeremiae*, nihil eum ab iis passurum, quibus res adversas, et calamitates denunciaturus erat; sed invictum animi robur, ac fortitudinem, qua trucem eorum vultum, indignationem, minas minime pertimesceret; et praesens auxilium, ne illi adversus eum praevalerent, a quibus se eum liberatu-

rum spopondit. Quam promissionem mirifice praestitisse, Deum ex tota *Jeremiae* historia perspicuum est; quamvis enim multis vexatus injuriis, et calamitatibus oppressus, ab omnibus tamen divina ope liberatus, et inter ingentes labentis patriae ruinas non sine evidenti miraculo ereptus est. Sed cum illae Dei promissiones ita intellexisse videatur, ut nihil omnino in illo praedicationis, et prophetiae munere passurus esset, quod contra accidisse viderat; ideo ex Dei promissione seductum se esse conqueritur, hoc est occasione divinae promissionis, quae vera erat, in errorem inductum. Mirum autem videri non debet, quod seducere ac decipere in sacris litteris dicatur Deus, quem ex occasione promissionis suae in errorem induci permittit. Apud Orientales enim, ut observat *Calmet*, verba quae nobis duriuscula, et audacia videntur, res omnino simplices innuunt. Adde, Hebraica verba hoc etiam sensu explicari posse: *Illexisti me Domine* (ad prophetandum) *et illectus sum.*

Objic. CXXIV. Ipse *Jeremias*, qui haec sibi a Domino dicta esse scripserat *Cap.* I. *Factum est verbum Domini ad me dicens: priusquam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te, et Prophetam in gentibus dedi te*; rebus tamen adversis consternatus, et fractus sic ait *Cap. XX.* 14. *Maledicta dies, in qua natus sum: dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta. Maledictus vir, qui annuntiavit Patri meo, dicens: natus est tibi puer masculus; et quasi gaudio laetificavit eum. Sit homo ille, ut civitates, quas subvertit Dominus, et non poenituit eum; audiat clamorem mane, et ululatum in tempore meridiano: quia non interfecit me a vulva, ut fieret mihi mater mea sepulcrum, et vulva ejus conceptus aeternus. Quare de vulva egressus sum, ut viderem laborem, et dolorem, et consumerentur in confusione dies mei?* Haeccine in Dei providentiam, atque in homines maledicta a Spiritu Sancto dictata sunt? haeccine vero est hominis fortitudo, quem Deus ipse in utero sanctificavit, et Prophetam dedit in gentibus, et posuit in columnam ferream, et in murum aereum? Ergo

℟. *Dist. ant.* Et hi fuerunt Prophetae sensus in su-

periori animae, et voluntatis parte, *neg*. In inferioribus animae potentiis, *conc*. Advertendum est enim, in eodem *Cap. XX*. explicasse Prophetam, quid inferior animae pars vexata malis, ac lacessita; quid superior divino adjutorio roborata sentiret. De superiori quidem animae, ac voluntatis sensu haec habet *Cap. XX.* 11. *Dominus autem mecum est tamquam bellator fortis: idcirco qui persequuntur me, cadent, et infirmi erunt; confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod numquam delebitur. Et tu Domine exercituum probator justi, qui vides renes, et cor, videam quaeso ultionem tuam ex eis* (quae ex zelo divinae justitiae dicta sunt) *tibi enim revelavi caussam meam. Cantate Domino, laudate Dominum, quia liberavit animam pauperis de manu malorum.* Deinde exponit, quid etiam in tantis non solum suis calamitatibus, verum etiam (quod gravius ei accidebat) Dei injuriis, quas videre cogebatur, inferiores animae partes potentiaeque sentirent, ac suggererent; quas tamen superior voluntas divino confirmata auxilio compescebat.

Inst. Ergo non sunt illa verba Dei, sed hominis; imo inferiorum in ipso homine facultatum, et naturae infirmae, atque corruptae. Ecquid enim opus erat, ut Spiritus S. tentationes illas, ac maledicta, quae pluribus offensioni essent, scribenda dictaret?

℟. *Neg. cons.* Altissimo enim, ac sapientissimo consilio voluit Deus, ut tentationes etiam sanctissimorum, ac fortissimorum hominum in sacris litteris scriberentur, sicut et Apostolus saepe in Epistolis praesertim ad Romanos, atque ad Corinthios infirmitates suas exponit, ne justi in similibus caussis cum tentari se, ac vehementer ab inferioribus potentiis oppugnari, atque in malum impelli sentirent, actum esse de sua salute existimarent; sed magna in Deum fiducia roborati dicerent cum Apostolo; *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Rom*. VII. 24.

Objic. CXXV. *Jerem*. VII. 16. Prohibuit Deus Prophetam pro populo orare. *Tu ergo*, inquit, *noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, et orationem, et non obsistas mihi, quia non exaudiam*

te. Quod et repetit *Cap. XI.* 14. Et tamen apud *Ezechielem*, qui eodem tempore in Assyria prophetabat, conqueritur, neminem pro populo orare, ut ab eo iram Dei averteret *Ezech. XXII.* 30. *Quaesivi*, inquit, *de eis virum, qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me, ne dissiparem eum, et non inveni.* Haec autem sibi mutuo adversari videntur. Ergo.

℟. *Neg. min.* Primo enim responderi potest, elapso tempore misericordiae, quo tempore nemo Deum deprecatus erat, qua de re ipse apud *Ezechielem* queritur, cum jam venisset exercendae justitiae tempus, *Jeremiae* denunciasse, frustra jam pro populo orationes futuras. Deinde non esse putandum, verba illa Domini apud *Jeremiam* veram *beneplaciti* voluntatem significare, quasi revera nollet Deus, aliquem pro populo orationes fundere, ut Dei iram, et flagella averteret; placet enim ei semper hoc mutuae charitatis officium, displicetque contraria negligentia; sed esse potius voluntatem *signi*; ita scilicet, ut orationem vetando magis ejus charitatem exacueret. Sic in *Exodo XXXII.* 10. vetuit etiam Deus Moysen orare pro populo; *Dimitte me*, inquit, *ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos.* Nihilo tamen secius eo vehementius oravit Moyses; *placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* Utraque responsio magni nominis Interpretes auctores habet: prior verisimilior videtur.

Objic. CXXVI. *Jerem. XV.* 4. Ait Dominus: *Dabo eos* (hoc est Judaeos universos) *in fervorem universis regnis terrae* (hoc est per universa regna dispergam) *propter Manassen filium Ezechiae regis Juda, super omnibus quae fecit in Jerusalem.* Qua in re duplex videtur esse absurdum; primo quidem, quia propter peccata Regis jam pridem defuncti tam magna populo poena irrogatur: deinde quia *Manasses* ipse a Deo per Assyrios castigatus, vinctusque catenis, ac ductus Babylonem *postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, et egit poenitentiam valde coram Deo patrum suorum; deprecatusque est eum, et obsecravit intente, et exaudivit orationem ejus* II. *Paralip.* XXXIII 12. absurdum autem videtur puniri severissime populum, pro-

pter peccata Regis, cui Deus poenitentiam agenti pepercerat. Ergo.

℟. *Neg. ant.* quoad 2m. *part.* Peccata enim *Manasse* in ipsum redundarunt populum, quia *seduxit Manasses Judam, et habitatores Jerusalem, ut facerent malum super omnes gentes, quas subverterat Dominus a facie filiorum Israel; locutusque est Dominus ad eum et ad populum illius, et attendere noluerunt* II. *Paralip.* XXXIII. 9. Quamvis autem *Manasses* ipse poenitentiam egerit, eique pepercerit Deus; non tamen populus, ut observat *Hieronymus*, ab idololatria, aliisque peccatis, in quae Regis illius vel exemplo, vel jussu inductus erat, recessit, imitatusque peccantem Regem, poenitentem imitari noluit; ideoque merito affectus poena dicitur *propter peccata Manasse*, sive quae *Manasse* auctore et patraverat, et adhuc eo tempore impudentissime patrabat. Atque hinc *discimus*, inquit Hieronymus, *Regum, et principum, et praepositorum scelere populos plerumque deleri.*

Objic. CXXVII. *Jerem.* XXVII. 7. Ait Propheta: *Et servient ei* (hoc est Nabuchodonosor) *omnes gentes, et filio ejus et filio filii ejus.* Haec autem prophetia nequaquam confirmata videtur eventu. Filius enim *Nabuchodonosor Balthassar* est, ut perspicue ait Baruch *Cap. I.* 11 *Balthassarre* autem occiso *Dan.* V. 31. Assyriorum regnum ad Medos translatum est; ita ut nullus regnaverit *filius filii Nabuchodonosor.* Ergo.

℟. *Neg. min.* Quamvis enim *Baruch Balthassar* Nabuchodonosoris filium appellet; erat tamen ejus nepos, nec est in sacris litteris insuetum, ut nepotes filii vocentur, ut saepe advertimus. Filius quippe fuit Nabuchodonosoris *Evilmerodach*, de quo *Lib.* IV. *Reg.* XXV. 27 et *Jerem.* LII. 31. mentio occurrit, cujus filius fuit Balthassar. Scimus alios aliter hanc Assyriorum genealogiam disponere, ut constet, secundum *Jeremiae* vaticinium Judaeos *Nabuchodonosor*, filioque, ac nepoti ejus serviisse; nostra tamen sententia verisimilior est. Ceterum quidvis potius opinari possumus, quam illud absurdissimum, nos scilicet melius eorum temporum facta perspexisse, quam eos, qui aut eisdem temporibus vixerunt, aut eis fuere vicinissimi, qui si *Je-*

Digitized by Google

remiae vaticinium vidissent non fuisse rerum eventu probatum, nequaquam eum ut verum Prophetam habuissent.

Objic. XXXVIII. Praedixit Jeremias *Cap.* XXXVI. 30. de Rege *Joakim*: *Non erit ex eo, qui sedeat super solium David.* Atqui *Lib. IV. Reg. XXIV.* 5. legimus: *Dormivit Joakim cum patribus suis, et regnavit Joachim filius ejus pro eo*: is est *Jechonias*. Ergo vel falsus est *Jeremias*, vel auctor *Lib.* IV. *Regum.*

℟. *Neg. cons.* Tribus enim mensibus regnavit *Jechonias*, regnoque exauctoratus, captivus ductus est Babylonem. Quod temporis spatium adeo exiguum est, ut merito non regnasse dicatur, ut observant ex veteribus *Theodoretus*, ex recentioribus *Santius*, *Grotius. Vatablus*, aliique; praesertim cum etiam tribus illis mensibus pacifica ei non fuerit regni possessio.

Objic. CXXIX. Sunt et alia in *Jeremia*, in quibus vel cum sacra historia, vel secum ipse non videtur congruere. Sic 1.° *Jerem.* XLVII. 4 ait: *Depopulatus est Dominus Palaestinos, reliquias insulae Cappadociae*, cum constet, nec Cappadociam esse insulam, nec Palaestinos e Cappadocia oriundos esse. 2.° *Jerem.* L. 2. ait, ultimum Babylonis Regem Assyrium fuisse *Merodach*: *Capta*, inquit, *est Babylon*, *victus est Merodach*, cum contra ultimum Assyriorum Regem, qui a *Dario* Medo victus est aperte Daniel *Dan. V.* 30. *Balthassar* fuisse scribat. 3.° *Jerem.* LI. 59 scribit; *Sarajam* cum *Sedecia* Rege Babylonem perrexisse *anno quarto regni ejus*; cum tamen ex Regum historia IV. *Reg* XXV. anno undecimo regni Sedeciae haec accidisse perspicuum sit, imo id ipse scribat Jeremias *Cap.* LII. 5. 4.° *Jerem.* LII. 12. ait, incensum esse templum Domini *in mense quinto*, *decima mensis*: haec autem facta esse *septima die mensis* in Regum historia legimus IV. *Reg. ult.* 8. 5.° Scribit etiam *Jerem.* *LII* 28. *Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor*; *in anno septimo Judaeos tria millia, et viginti tres*; *in anno octavodecimo animas octingentas triginta duas*; *in anno vigesimo tertio ..... animas septingentas quadraginta quinque*, *omnes ergo animae quatuor millia sexcentae.* Contra vero in Regum historia legimus IV. *Reg.* XXIV. 12. *et seqq. In anno octavo regni sui.*

. . . *transtulit omnem Jerusalem*; *et universos principes*, *et omnes fortes exercitus decem millia* . . . . . *et omnes viros robustos septem millia*, *et artifices*, *et clusores etc.* 6.° *Jerem.* XLVI. 2. Loquens de *Pharaone Nechao* AEgypti Rege, ait eum a *Nabuchodonosor* fuisse percussum; et tamen *ibid.* 12. de duobus istis Regibus ait: *Fortis impegit in fortem*, *et ambo pariter conciderunt*. Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad* 1m. Non ait *Jeremias* Palaestinos esse a Cappadocia oriundos, sed Dominum ingentem cladem illaturum Palaestinis, nec non Cappadocibus omnibus usque ad reliquias, qui Palaestinis auxilio venturi erant; verba enim illa *reliquias Cappadociae* non ut *casus appositionis*, ut Grammatici ajunt, intelligenda sunt, sed cum conjunctionis particula. Cur autem Cappadocia insula vocetur, cum nec undique mari circumfundatur, imo nec maritima sit, varie explicant interpretes. Sed cum in Hebraico textu pro Cappadocia *Gaphtor* legatur, quo nomine et Cyprus insula, et Creta, et Tyrus potest intelligi, non est, cur ea de causa de insulae nomine litigemus; quamvis non desint auctores, qui putant, omnes regiones a Judaea longe dissitas, praesertim si ad eas aliquo pacto per mare navigari posset, insulas in sacris litteris appellari consuevisse, qua de re vide *Sanctium* in *Commentariis*. Certe si *Jeremias* ipsam Cappadociam insulam appellasset, debebat ei aliquo sensu nomen illud convenire, nisi adeo egregie desipere, atque insanire velimus, ut putemus nos melius Hebraicorum nominum vim, et potestatem, quam ipsum *Jeremiam* perspectam habuisse.

Ad 2m. Duplex est de nomine illo *Merodach* sententia eruditorum. Nonnulli enim non Regem sed numen Assyriorum eo significatum putant. Ait enim *Jeremias* L. 2. *Annunciate in gentibus*, *et auditum facite*: *levate signum*, *praedicate*, *et nolite celare*, *dicite*: *Capta est Babylon*, *confusus est Bel*, *victus est Merodach*: *confusa sunt sculptilia ejus*, *superata sunt idola eorum*. Quibus verbis *duos praecipuos*, inquit Maldonatus, *Chaldaeorum Deos pro omnibus posuit*, *quos ideo confundendos*, *idest ignominia afficiendos esse dicit*, *quia tunc manifestum erit*, *non posse suos cultores liberare*, *ut*

Digitized by Google

ait R. David . . . . et eodem modo supra de Chamos Moabitarum idolo locutus est Jeremias XLVIII. 7. *Ibit Chamos in transmigrationem*: Et Cap. XLIII. 12. *De diis Ægypti*: *Et succendent ignem in delubris deorum Ægypti, et comburet ea, et captivos ducet illos*. Alii vero nomen illud *Merodach* commune omnibus Babylonis regibus fuisse putant, sicut nomen *Pharaonis* omnibus Ægypti regibus, et Imperatoribus omnibus nomen *Caesaris*; ideoque *Balthassar* ipse *Merodach* appellari a *Jeremia* potuit, ut advertit *Sanctius*, aliique viri docti. Utraque tamen sententia vera esse, et conciliari facile poterit, si dicamus, *Merodach* unum fuisse ex antiquis Babyloniorum Regibus, atque ob res praeclare gestas, in deorum numerum a Babyloniis relatum, et cultum, ideoque omnes, vel plurimos sequentes Reges *Merodach* cognomen usurpasse. Quae sententia a *Theodoreto* primum tradita, deinde a *Grotio* et *Piscatore*, ceteris verisimilior *Calmeto* visa est.

Ad 3m. Non ait Propheta, *Sarajam* anno IV. *Sedeciae* cum eo captivum fuisse adductum Babylonem, sed tunc cum *Sedecia*, ut Hebraicus textus et *Vulgata* habet vel a *Sedecia*, ut alii interpretantur, Babylonem perrexisse. Cum enim in anno IV. *Sedeciae* inter eum, et Babylonis Regem pax summa esset, non est mirum, si *Sarajas* vel legatus a *Sedecia*, vel cum ipso *Sedecia* ad Babylonis Regem salutandum profectus sit. Verum cum postea *Sedecias* a Rege Babylonio defecisset, victus, captusque, ac Babylonem adductus est anno regni sui undecimo.

Ad 4m. Nisi in alterutro Scripturae loco aliquis fuerit librariorum error; respondere facile possumus, septima quidem die mensis venisse Jerosolymam *Nabuzardan Nabuchodonosoris* legatum; decima vero templum incendisse, diruisse domos, stravisse murum; aut haec septima die incepta, decima vero perfecta esse; aut septima mensis die perfectum illum a *Reblatha*, ubi *Nabuchodonosor* manserat, decima die Jerosolymam pervenisse.

Ad 5m. Quod pertinet ad differentiam anni septimi, et octavi, quae differentia inter hunc *Jeremiae* locum, et regum historiam conspicitur, ea facile conciliari potest, si dicamus, primam illam Judaeorum captivitatem anno septimo regni *Nabuchodonosor* exeunte,

cum ambularent. Deinde vero *v.* 14. ait: *Animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Haec autem secum invicem conciliari non possunt. Ergo.

℞. *Neg. min.* Cum enim singula animalia illa, quatuor facies habuisse scripserit Propheta, hinc fiebat, ut quocumque eundum esset, numquam terga verterent, sed semper ferrentur antrorsum, cum facies per quatuor partes haberent. Vide Calmet *in Comment.*

Objic. CXXXI. *Ezech.* XVI. Ita Jerusalem Propheta alloquitur: *Et soror tua Sodoma, et filiae ejus revertentur ad antiquitatem suam: et Samaria, et filiae ejus revertentur ad antiquitatem suam: et tu, et filiae tuae revertemini ad antiquitatem vestram.* Atqui Sodoma et Gomorrha caelesti igne subversae nec restitutae adhuc sunt, nec restituentur in posterum, cum ingenti ibi exorto lacu, aedificari amplius non possit. Ergo falsa fuisse videtur *Ezechielis* praedictio.

℞. *Neg. cons.* Non enim hic de veritate, sed de sensu Prophetiae quaestio est. Nonnulli quidem ut *Munsterus*, *Polanus*, *Piscator*, aliique haec per ironiam ab Ezechiele dicta esse putant; hoc est: sic tu, Jerusalem ad antiquam reverteris amplitudinem, nobilitatem, splendorem, sicut Sodoma, quae olim subversa restitui amplius non potest. Quam sententiam septuaginta etiam interpretum versio confirmat. Alii cum *Theodoreto antiquitatem suam* intelligunt nihilum; cum enim omnia antiquitus nihil essent, antequam fierent, idem est, ad antiquitatem suam reverti, atque in nihilum redigi. Alii denique, nostra quidem sententia melius, per *Sodomam* non ipsam Sodomorum civitatem, quae in perpetuum subversa est, sed universam *Pentapolis* regionem in qua incolumis remansit *Segor Genes.* XIX. nec non vicinos *Sodomae Moabitas*, et *Ammonitas*, qui et ipsi aliquo pacto origine sua Sodomitae erant, intelligunt. Has autem civitates omnes primo funditus subversas, deinde restitutas esse constat, cum ex *Cyri* Persarum Regis edicto non Judaeis solum, sed omnibus qui captivi Babylonem adducti erant, quique Dei cultores essent, in patriam redeundi potestas facta sit. Denique alii haec per allegoriam dicta esse volunt de vocatione

cum veteri templo a *Salomone* aedificato, atque ab Assyriis everso, neque cum novo, quod *Zorobabele* duce restauratum est, videatur convenire, ita ut inde Judaei occasionem, atque argumentum acceperint existimandi, tertium templum a Messia, quem adhuc expectant, secundum *Ezechielis* formam esse aedificandum. Non ergo videtur liber hic divinitus esse inspiratus; cum Deus nihil moliatur inutile, nihil falsum, qualis est haec templi descriptio, quam intelligere nemo potest; ideoque inutilis est; nec intellecta veritati historiae congruere existimatur.

℟. *Transeat ant. Neg. cons.* Dixi *transeat antecedens*, quia negari merito poterat, *Ezechielis* descriptionem usque adeo esse obscuram, ut intelligi omnino non possit, quodque in ea intelligitur, nec veteri *Salomonis* templo, nec novo *Zorobabelis* convenire. Nam quod attinet ad obscuritatem, licet nunc obscurior nobis in nonnullis partibus ea descriptio videatur; non erat tamen obscura Judaeis, ad quos ista ab *Ezechiele* scripta sunt. Cum enim viverent adhuc qui vetus *Salomonis* templum antequam everteretur, viderant, omnesque ejus partes perspectissimas habebant, clarissime ii quidem omnia, quae a Propheta scripta sunt, intellexerunt; quaeque nobis, qui aedificium illud non vidimus, obscura videntur; sicut qui vetus aliquod Romanorum amphitheatrum, templum, aliudve aedificium vident, clare intelligunt ea, quae apud veteres de eorum figura ac partibus, passim occurrunt, quaeque ii, qui aedificia illa non vident, intelligere non possunt. Sed nec omnino nobis illa *Ezechielis* descriptio ita in omnibus suis partibus est obscura, ut intelligere nihil valeamus. Nam et ipse *Hieronymus*, qui in *Praefatione* imperitiam fassus est; in *Commentariis* tamen *Ezechielis* descriptionem explicavit, licet eam prae sua modestia explicationem, non ut certam obtrudere audeat, sed ut conjecturam proponat. Et *Calmetus* etiam, qui ejus descriptionis difficultatem exagerat; non omisit tamen in *Commentario* eam, quantum potuit, explicare, addita etiam Templi *Ichnographia* sive figura, quae homini non litigioso posset sufficere. Si quid autem adhuc remanet in *Ezechielis* vaticinio obscurum, id nec inutile nobis, nec Dei sapientia in-

dignum est; tum quia Spiritus Sanctus, ut observat *Augustinus*, ita Scripturas temperavit, ut claris pasceret; exerceret obscuris; tum quia cum templum illud figura esset militantis, et triumphantis Ecclesiae; quod non potest a nobis de materiali templo intelligi (quae intelligentia licet curiositatem pascat, nihil ad salutem juvat) satis est, si de templo spirituali, quod est Ecclesia, intelligatur.

Illud etiam negari poterat, quod posteriore loco objectum est, *Ezechielis* descriptionem neutri templo, hoc est nec veteri *Salomonis*, nec novo *Zorobabelis* convenire. Ut enim recte advertit *Calmetus*, Templum hic ab *Ezechiele* descriptum illud ipsum videtur esse, quod ante captivitatem fuerat; eoque consilio voluisse Deum, illius structuram tam minute a Propheta describi, ut divini illius aedificii memoria servaretur, spesque inde fieret populo in patriam redeundi, templumque aedificandi, si non adeo magnificum, ut prius fuerat, saltem quod ad illud, quantum fieri posset, accederet. Quippe si *Regum*, et *Paralipomenon* libros cum *Ezechiele* conferamus, easdem utrobique deprehendemus dimensiones earum templi partium, quae utrobique describuntur: idem templi locus, ac situs, eadem Sanctuarii, vestibuli, aliarumque interiorum templi partium mensura, et modus, eadem ornamenta. Ex quo illud verisimillime consequitur, etiam eas partes, quae ab *Ezechiele* describuntur, quaeque in Regum historia, vel leviter attinguntur, vel praetermittuntur, omnino inter se fuisse simillimas.

Ceterum quamvis utrumque daremus, et obscuram omnino esse *Ezechielis* descriptionem, et neutri convenire templo; non illud tamen consequens esset, quod est in objectione positum; inutilem scilicet eam esse, aut falsam, ideoque divinitus inspirari non potuisse. Quod enim obscurum in Scripturis est, ad exacuendam diligentiam ut paulo ante diximus, et humilitatem fovendam valet; quod vero materiali templo non convenit, spirituali conveniet; scilicet Ecclesiae militanti, vel certe triumphanti, cujus materiale illud templum umbram, et figuram fuisse, jam supra observavimus.

Quod autem apud Ezechielem *Cap.* XX. 25. ait Dominus: *Et ego dedi eis praecepta non bona*, jam *Lib.* IX. *Cap.* 1. *explicavimus*.

Digitized by Google

Objic. CXXXIV. Quod in *Danielis* prophetia legimus *Cap.* I. 1. *Anno tertio regni Joakim venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Jerusalem*, manifestus *anachronismus* est. Constat enim ex Jeremia *Cap.* XXV. 1. Nabuchodonosor Babylonis regnum auspicatum esse anno quarto regni Joakim. Ergo.

℞. *Neg. ant.* Cum enim, ut auctor est *Herodotus*, solerent Orientales reges filios suos regio nomine decorare, praesertim cum eos in gravem aliquam expeditionem mitterent, cur non potuit *Nabuchodonosor* a patre in Phoeniciam, ac Judaeam cum exercitu missus anno *Joakim* tertio rex appellari, antequam revera regnum auspicaretur? Cur non potuit Daniel eum regem appellare, cum ista scriberet, eo jam regnante; licet nondum Rex esset cum primo Jerosolymam venit?

Objic. CXXXV. *Dan.* IV. 5. dicitur *Daniel* fuisse *collega Nabuchodonosoris. Donec*, inquit Nabuchodonosor, *collega ingressus est in conspectu meo Daniel.* Ibidem autem additur, eum habuisse *spiritum Deorum sanctorum in semetipso*. Quod quidem utrumque absurdum est. Quis enim credat, Danielem Judaeum, atque captivum, factum esse Regis collegam? quis ferat, eum falsorum numinum spiritu agitatum prophetasse? Ergo.

℞. *Neg. ant.* Primo enim non dicitur eo in loco *Daniel* a *Nabuchodonosor* collega Regis, sed simpliciter *collega*; ideoque non ad Regem, sed ad alios Chaldaeorum divinos, et ariolos, nomen illud referendum putant *Drusius*, *Grotius*, *Ludovicus de Dieu*, ita ut putaverit *Nabuchodonosor*, *Danielem* aliorum divinorum socium esse. Deinde collegae nomen neque in Chaldaico originali textu, neque in Graecis, quae hodie extant, editionibus legitur, et verisimile est, librariorum imperitia in quibusdam codicibus pro nomine ἑτερός, quod significat *alterum*, *alium*, positum esse ἑταιρος, idest *amicus*, unde vulgatus interpres collegam vertit. Quod autem *Nabuchodonosor* ait, spiritum Deorum Sanctorum in Daniele esse, nihil aliud ostendit, nisi ita existimasse Regem illum. Ceterum *Theodotion* apud *Hieronymum* ita interpretatus erat: *Qui habet spiritum Dei sancti in semetipso*, atque ita eum locum legit etiam *Theodoretus*, nomenq. *Elohim*, quod in originali

est, ad verum Deum significandum saepissime in Scripturis usurpatur: utrum autem *Nabuchodonosor* prophetiis, atque miraculis edoctus, verum tandem Deum agnoverit, et coluerit, magna quaestio est, de qua non est hic dicendi locus.

Objic. CXXXVI. Apud *Oseam* XI. 8. ait Dominus se misertum *Ephraim*, cujus metropolis Samaria erat, nec eum dispersurum. *Non faciam*, inquit, *furorem irae meae, non convertar, ut disperdam Ephraim*. Et tamen vide quid dicat *Cap.* XIV. 1. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum; in gladio pereant; parvuli eorum elidantur, foetae ejus discindantur.* Et revera Ephraim, Samariam, omnesq. decem tribus a *Salmanasar* magna clade accepta, in Assyriam translatas esse, ex sacra historia perspicuum est. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Quamvis enim tot, tantaque essent peccata Samariae, Ephraim, decemque tribuum, ut sententiam illam Dei justissimam mererentur: *Pereat Samaria etc.* Deus tamen in misericordia dives, nec omnino impunita eorum scelera voluit, nec eos omnino, ut merebantur, deletos. Unde in eodem *Cap.* XIV. quo justitiae suae sententiam eis denuntiat, hortatur tamen, ut convertantur, et poenitentiam agant: *Convertere*, inquit, *Israël ad Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua etc.* Imo et veniam pollicetur dicens: *Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis.*

Objic. CXXXVII. *Amos* V. 18. Ait Propheta, *Vae desiderantibus diem Domini ad quid eam vobis?* Atqui haec erat in veteri Testamento Sanctorum expectatio, hoc commune votum; imo et in novo Testamento diem Domini desiderare jubemur, et orare, ut regnum Dei adveniat. Ergo.

℟. *Neg. cons.* 1.° quia invehitur ibi in eos propheta, qui in peccandi voluntate obfirmati, atque obstinati poenitentiam agere detrectabant: quibus certe dies Domini non salutem, sed supplicium allatura erat. Quod et iis aptari potest, qui in novo Testamento Regnum quidem Dei, ut adveniat, orant, et tamen poenitentiam agere vel nolunt, vel ad mortem differunt. 2.° Quia ex. multorum sententia Interpretum desiderare diem Do-

mini ii apud *Amos* dicuntur, qui prophetas, diem, et vindictam Domini minitantes irridebant; nec dicere verebantur: veniat tandem tam decantata, totiesque repetita dies Domini. Quibus certe ventura erat aliquando illa dies, non salutem, sed ingens malum, atque perniciem illatura. Vide *Estium*, *Tirinum*, *Calmet*, *etc.*

Objic. CXXXVIII. Praedicit Sophonias *Cap.* II. 9. *Vivo ego, dicit Dominus exercituum, Deus Israël, quia Moab ut Sodoma erit, et filii Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum, et acervi salis, et desertum usque in aeternum.* Atqui haec non sunt rerum eventu comprobata, imo contraria iis sunt, quae praedicit Daniel XI. 41. *Salvabuntur Edom, Moab, et Ammon.* Ergo.

℞. *Neg. min.* Sophonias enim, ut ex *Cap.* I. 1. patet *in diebus Josiae Regis* prophetavit, hoc est ante illorum populorum excidium, quod revera illis illatum est a Chaldaeis *Jerem.* XLVIII. et XLIX. Quod vero ait *Sophonias*: *erit ut Sodoma, et Gomorrha*, hyperbole est ad explicandam ejus calamitatis, atque excidii magnitudinem satis apta. Abductis enim in captivitatem populis regiones illae desertae ad similem fere Sodomis sterilitatem redactae sunt. Ceterum verba illa *usque in aeternum* non aeternitatem eo in loco, sed temporis diuturnitatem significant, ex *Jeremiae* enim vaticinio illis etiam populis reditus ex captivitate promissus erat. Constat etiam ex historia *Machabaeorum*, regiones illas ea aetate frequentes fuisse, atque a Judaeis subactas, ex quo etiam eventu probatum est, quod in eodem *Cap.* II. 9. subdit Sophonias: *Reliquiae populi mei diripient eos, et residui gentis meae possidebunt illos.* *Daniel* vero post Moabitarum, Ammonitarum, Idumaeorum ruinam prophetavit, ac futuram Antiochi in Ægyptum expeditionem *Cap.* XI. praedicens, affirmat fore, ut *Moab*, *Ammon*, atque *Idumaea* jam ex captivitate reduces incolumes serventur. Qua in re nulla Scripturarum est contradictio.

Objic. CXXXIX. Quaedam sunt in *Zachariae* prophetia, quae falsa fuisse, imo nec fieri potuisse videntur. Ait enim *Zach.* XII. 2. *Sed et Juda erit in obsidione contra Jerusalem*; quod certe fieri nullo modo poterat, cum Jerusalem Judaeorum metropolis esset; ideoque de-

fendi quidem ab iis posset, obsideri non posset. Et in *Cap.* XIV. 4. *Scindetur*, inquit, *mons olivarum ex media parte sui ad orientem, et ad occidentem praerupto grandi valde, et separabitur medium montis ad aquilonem, et medium ejus ad meridiem.* Quod quidem numquam factum est, nec fieri fortasse poterit. Si enim acciderit, ut ingenti aliquo terraemotu ita mons dirumpatur, ac diruatur, ut ex media sui parte ad orientem ex alia ad occidentem praecipitet; non poterit idem ad aquilonem et meridiem disrumpi, ac praecipitari. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Quod enim ad primum attinet, quid mirum Jerusalem a Judaeis ipsis obsideri, quod toties aliis urbibus in bellis civilibus accidit, sicut Roma a Romanis ipsis obsessa est primum scilicet a Coriolano, deinde a Sylla, postea ab aliis? Hoc autem, quod a *Zacharia* praedictum fuerat, Jerosolymis accidit aetate Machabaeorum, primo cum multi Judaeorum ab avita religione deficientes in Graecorum castra transfugerunt; qui acrius, ac vehementius, quam Ethnici ipsi fratres suos insectati sunt I. *Machab.* I. 55. Deinde Jerusalem obsessa, et expugnata est a Jasone II. *Machab.* V. 6. tertio ab Alcimo I. *Machab.* VII. 19. denique ab ipsis Machabaeis principibus, cum inter eos de summo Sacerdotio, ac principatu contentio fuit, antequam *Herodes* rerum potiretur; ut in *Josephi* Historia memoriae proditum est. Atque ita Prophetiae veritas etiam secundum Vulgatae versionis lectionem constat. Sed sciendum est, Hebraicum textum alium sensum habere posse; futurum scilicet, ut Juda, et ipsa Jerusalem ab hostibus obsideatur; unde septuaginta interpretes eum locum ita reddiderunt: *και εν τη Ιουδαια εσται περιοχη επι Ιερουσαλημ*, *et in Judaea erit obsidio contra Jerusalem.*

Ad alterum vero quod attinet de monte olivarum, aliud est quaerere, utrum illud fieri possit quod a Propheta praedictum est; aliud utrum id olim factum, vel aliquando futurum sit. Et quidem illud fieri posse quis neget, ut mons ingenti aliquo terraemotu in quatuor partes disrumpatur ad orientem, ad occasum, ad austrum, ad aquilonem, cum longe mirabiliora, terraemotibus, hiatibus, aliisque magnis naturae concussionibus

facta esse sciamus? Utrum vero factum id olim fuerit, silente historia, ignoramus. Mons enim hodie olivarum in tres colles divisus conspicitur; sed utrum talis olim fuerit, incertum est. Quamvis autem concedamus, numquam id ad litteram accidisse, quod *Zacharias* vaticinatus est, potest tamen in postremo mundi casu, ac ruina accidere, de qua ibi Propheta loqui videtur, cum ait: ***Et veniet Dominus Deus meus, et omnes sancti ejus cum eo***, potest et mystico sensu, et per metaphoram locus ille explicari; cum soleant similes loquendi formae a Prophetis usurpari; scilicet exultare montes, contremiscere prae metu, fluere sicut cera a facie Domini, et cetera ejusdem generis, quae ad significandam magnam aliquam rerum perturbationem, ac Dei potentiam, atque vindictam, adhibita sunt.

Objic. CXL. In veteri Testamento, praesertim in *Psalmis*, librisque Prophetarum innumera occurrunt maledicta, quibus *David*, aliique Prophetae omnis generis mala inimicis imprecantur. ***Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur; deducantur in infernum. Cum judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum***: et sexcenta ejusdem generis, quae commemorare longum est. Atqui dilectio inimicorum lege naturali praecipitur. Ergo etc. Huc referri potest quod legitur IV. *Reg. I.* de *Elia*, qui maledixit militibus *Ochoziae*, et IV. *Reg. II.* de *Elisaeo*, qui maledixit pueris.

℟. *Dist. maj.* Occurrunt plura maledicta, quae sunt merae praedictiones malorum, quae impendent impiis, nisi convertantur, *conc.* Quae sunt, vera desideria malorum, *subdist.* Ex ardentissimo zelo justitiae Dei, *trans.* Ex odio, quod dilectioni inimicorum opponitur, *neg.* Ita passim respondet *Augustinus*.

Objic. CXLI. Nabuchodonosorem mutatum esse in bovem, aliamve belluam, ut refertur *Dan.* IV. videtur incredibile, et prorsus simile fabellis Ethnicorum de sociis *Ulyssis* in aves, luposque, et *Apulejo*, in asinum mutatis, aliisque quae passim apud Ethnicos occurrunt.

℟. *Neg. ant.* Missa enim *Origenis* opinione, qui eam *Nabuchodonosoris* mutationem per allegoriam explicat de Lucifero; missa etiam illorum sententia, qui Regem

illum revera in brutum fuisse conversum putant, commodissime totam historiam de tetro *melancoliae* humore, turbatoque mentis statu explicare possumus; cum multis id accidisse sciamus, qui sibi visi sunt in animalia se fuisse mutatos, eorumdemque animalium imitari mores incepisse per montes, sylvasque vagantes. Simile igitur quid accidisse *Nabuchodonosori* putandum est, ideoque ut phreneticum ligatum primum a suis, deinde e vinculis elapsum in agros effugisse; quo morbo per septennium tolerato, tandem ad saniorem mentem rediisse. Vide eruditam Calmeti Dissertationem *De metamorphosi Nabuchodonosor.*

Objic. CXLII. In *Lib.* IV. *Esdrae Cap.* XIV. legitur, omnes libros sacros Judaeorum in Babylonica fuisse captivitate combustos; quos deinde ipse *Esdras* quinque viris adjutus per dies quadraginta restituit. Hic autem IV. *Esdrae* liber olim habebatur canonicus; et in omnibus Scripturis, sive manuscriptis, sive impressis est editus. Postea tamen e canone rejectus est, ne ex hoc testimonio aliquod contra Scripturarum veritatem fieret praejudicium. Sed sit ille non divinus liber: est certe vetustissimus; atque ex illo scimus, omnes Scripturarum libros in captivitate periisse. Ergo ii, qui nunc sunt, humano ingenio fuerunt compositi.

℟. *Neg. ant. quoad 2m. part.* scilicet quod tertius, et quartus *Esdrae* liber fuerint umquam canonici, ac deinde rejecti e canone, ne aliquod inde contra Scripturarum veritatem crearetur incommodum. Nulla singularis Ecclesia, Concilium nullum duos istos *Esdrae* libros umquam in canone habuit. *Hieronymus* non alio eos nomine appellat, quam *Apocryphorum somniorum Praef. in Esdram.* Nec Hebraei illos umquam habuerunt in canone, nec extra canonem, nec ulli ibi eorum meminit *Josephus* Hebraeus in *Antiquit.* Et talia in illis leguntur de Jesu Christo, ut a Judaeo aliquo ad Christianam religionem converso confieti videantur. Ceterum vel adversarii contendunt, aliquam eorum librorum habendam esse rationem, vel nullam. Si hoc alterum affirmant, jam objectio exsufflata est. Si primum dicant, ergo fateantur necesse est, Scripturarum libros Spiritu Sancto, qui eos primum dictaverat, afflante,

fuisse restitutos. Sed periisse omnino in Babylonica captivitate libros sacros, non solùm incredibile, sed manifeste falsum est, cum *Jeremias* Judaeis in captivitatem abducendis librum legis servandum, secumque ducendum tradiderit II. *Machab.* II. 2. Baruch ad eosdem captivos scribens Moysis legem iis in memoriam revocet *Baruch.* I. 19. *et* II. 1. Daniel et ipse captivus libri *Jeremiae*, et aliorum mentionem faciat, sicut et saepe *Ezechiel* Babylone scribens. Denique ipse Esdras *librum legis Moysi* habuisse dicatur II. *Esdrae* VIII. Nihil ergo aliud fecit *Esdras*, nisi dispersos libros in unum colligere, eorumque exemplaria emendare. Vide eruditissimas Calmeti *Dissertationes in libros Esdrae*, et Natalem Alex. *Dissert.* IV. *in* VI. *Mundi aet.*

Objic. CXLIII. *Matthaeus in* Evangelio memoria lapsus videtur. Ait enim *Cap. I. 8. Joram autem genuit Oziam*, cum contra constet ex *Libris Regum* inter *Joram*, atque *Oziam* tres interfuisse Reges. Quippe *Joram* genuit *Ochoziam*, *Ochozias* genuit *Joas*, *Joas Amasiam*, *Amasias Oziam*. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Cum enim propositum habuisset Evangelista generationes omnes ab Abrahamo ad Christum in tres distribuere *tessaradecades*, sive ter quatuordecim, vel ut facilius mandari memoriae possent, vel alia de causa; necessario a *Davide* usque ad transmigrationem Babylonis tres omittendae fuerunt generationes, quae ex numero illo redundabant, ut observant *Hieronymus*, *Hilarius*, *Auctor QQ. in Matth. inter Opera Augustini*, *Rupertus*, *S. Thomas*, *Abulensis*, *Jansenius*, *Grotius*, *Junius*, aliique. Quare autem eos potius, quam alios praetermiserit, in causa est, quod *Joram* uxorem duxit *Athaliam*, filiam impii *Achab*, et *Jezabel*, ex qua genuit *Ochoziam*; ita ut ejus posteritas usque ad quartam generationem, ex cognatione impiorum hominum, atque a Deo per *Eliam* Prophetam maledicta III. *Reg.* XXI. 21. veluti coinquinata censeretur. Neque vero est in Scripturis insuetum, ut aliquis dicatur ejus filius, a quo pluribus distat generationibus, ex qua consuetudine idem *Matthaeus* appellat Christum filium *David*, et *Abrahae*, a quibus longissimo plurium generationum intervallo distabat, ideoque dari ratione dicere potuit *Oziam* filium *Joram*.

Objic. CXLIV. In eodem *Cap.* I. 11. ait Matthaeus *Josias autem genuit Jechoniam, et fratres ejus in transmigratione Babylonis.* Atqui constat *ex Lib.* IV. *Reg.* XXIII. 34. *Josiam* genuisse *Eliacim*, quem Pharao Rex Ægypti regem Judae constituit pro *Joachaz* alio *Josiae* filio, quem captivum duxit in Ægyptum; *Eliacim* autem genuisse *Joachim*, seu *Jechoniam*, quem *Nabuchodonosor* captivum duxit Babylonem. Ergo.

℟. Nonnulli putant, *Matthaeum* hic, sicut supra in *Ozia*, omisisse generationem unam, neque de re omnibus notissima fuisse sollicitum. Alii vero arbitrantur, peccatum esse vitio librariorum, atque ita locum esse restituendum: *Josias autem genuit Joakim, et fratres ejus*: *Joakim autem genuit Jechoniam in transmigratione Babylonis.* Vide variantes lectiones apud *Millium* et *Bern. Montfauconium Diar. Ital. Lib.* I. *cap.* 21. *Maldonatum*, *Paraeum*, *Jac. Cappellum etc.* Alii denique opinantur, *Joakim*, *Eliacim*, et *Jechoniam* nomina esse apud Hebraeos promiscue usurpata; ita ut bene dixerit Matthaeus, *Josiam* genuisse *Jechoniam*, quo nomine et patrem Joakim, et filium Jechoniam comprehendit; ne diceret: *Josias genuit Jechoniam, Jechonias genuit Jechoniam.* Ita Augustinus *Lib.* II. *De Consens. Evang. Cap.* 4. Sive ergo *Jechonias* pro patre *Joakim*, et filio *Jechonia* intelligatur, sive vitio librariorum *Joakim* mendose fuerit praetermissus, satis constat Evangelii veritas.

Inst. 1.° *Jechonias*, qui captivus Babylonem ductus est, nullos habuisse legitur fratres. Ergo.

℟. *Neg. cons.* 1.° Quia poterat *Matthaeus* ex traditione, aliisque Hebraeorum historiis, vel divino Spiritu, a quo in scribendo regebatur, cognoscere, alios *Jechoniam* habuisse fratres. 2.° Quia si *Joackim* vel praetermissus, vel in ipso *Jechonia* comprehensus est fratres illi ad *Joachim* referuntur.

Inst. 2.° *Josias* longe ante transmigrationem Babylonis mortuus erat. Mendose igitur ait Matthaeus, *Josiam* genuisse *Jechoniam* in transmigratione Babylonis.

℟. *Neg. cons.* Verba enim illa: *in transmigratione Babylonis* non ad *Josiam* sed ad *Jechoniam* referenda

sunt; idest *Josias* genuit *Jechoniam*, qui fuit in transmigratione Babylonis.

Inst. 3.° Ait Matthaeus *Cap. I.* 12. *Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel.* Atqui Jemerias *Cap. XXII.* 30. de *Jechonia* praedixerat: *Scribe virum istum sterilem.* Ergo vel falsus est *Matthaeus* vel *Jeremiae* prophetia.

℟. *Dist. min.* Ait *Jeremias*, *Jechoniam* fore sterilem eo quod non esset habiturus filium regni sui heredem, *conc.* Sterilem omnino, *neg.* Ita enim seipse *Jeremias* explicat: *Scribe virum istum sterilem; nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David.* Quod verissimum comprobavit eventus. Licet enim postea *Zorobabel Salathielis* filius magno fuerit in honore apud populum, ita ut princeps et haberetur, et diceretur *Aggaei* I. 1. regiam tamen dignitatem non obtinuit, neque potestatem, imo ne nomen quidem.

Inst. 4.° *Lib. I. Parap. III.* 9. *Zorobabel* natus dicitur ex *Phadaja* fratre *Salathielis*: *De Phadaja*, inquit, *nati sunt Zorobabel, et Semei.* Mendose ergo *Matthaeus* cum scribit genitum a *Salathiel.*

℟. *Neg. cons. Salathiel* enim genuisse *Zorobabel*, perspicuum est ex *Lib. I. Esdrae IX.* 18. et *Aggaei Cap. I.* 1. Ille ergo Zorobabel, qui ex *Phadaja* natus est *I. Paralip. III.* alius est, atque diversus a *Zorobabel Salathielis* filio, licet eodem fuerit appellatus nomine, quod non est, in cognatis praesertim familiis, insuetum. Idque etiam magis perspicuum est ex utriusque *Zorobabelis* filiis, *Zorobabel* enim, de quo in *Lib. Paralip.* mentio est, genuit *Mosellam*, *Hananiam*, et *Salomith*, iste vero, de quo *Esdras*, *Aggaeus*, et *Matthaeus* loquuntur, filium habuit *Abiud.*

Inst. 5.° Si Matthaeo credimus, *Jechonias genuit Salathiel*, *Salathiel genuit Zorobabel*, *Zorobabel genuit Abiud.* Contra vero Lucas *Luc. III.* ait *Neri* genuisse *Salathiel*, *Salathiel* genuisse *Zorobabel*, *Zorobabel* vero genuisse *Resa.* Atqui ista non congruunt. Ergo.

℟. *Neg. min.* Nam 1.° certum non est, *Salathiel*, et *Zorobabel*, de quibus *Lucas* mentionem facit, eosdem esse, de quibus loquitur *Matthaeus*, et non alios iis cognomines. Non ergo cito pronunciandum est, eos,

qui iisdem nominibus occurrunt apud veteres vel sacros, vel profanos Scriptores, eosdem esse homines, cum plures iisdem nominibus, praesertim in cognatis familiis esse consueverint. 2.° Quamvis constaret, *Salathiel*, et *Zorobabel* apud *Lucam* eos ipsos esse de quibus loquitur *Matthaeus*; non inde fieret, Evangelistas sibi esse contrarios, cum *Salathiel* filius *Jechoniae* et *Neri* dici potuerit, propter legem, quae jubebat, fratrem uxorem ducere viduam fratris sine liberis mortui, vel quia, ut putat *Maldonatus*, *Jechonias* uxorem habuit filiam *Neri*, ex qua natus est *Salathiel*: *Zorobabel* vero utrumque filium habere potuerit *Abiud*, et *Resa*.

Objic. CXLV. Matthaeus generationes omnes ab *Abrahamo* usque ad Christum in tres dividit *tessaradecades* sive ter quatuordecim. *Ab Abraham*, inquit, *usque ad David generationes quatuordecim; et a David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim; et a transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim*. Atqui subductis rationibus, non constat ille generationum numerus, quippe ter tredecim inveniuntur. Ergo.

℟. *Neg. min.* Quippe in prima *tessaradecade* numerandus est *Abraham* tamquam primus gentis auctor, et *David*, atque ita quatuordecim generationum constat numerus. In altera vero *tessaradecade* quidam putant repetendum *David*, ut quatuordecim generationum expleatur numerus. Sed cum paulo ante dixerimus, *Jechoniam*, qui *tessaradecadem* illam claudit, bis esse repetendum; eo quod *Josias* genuerit *Joakim*, *Joakim Jechoniam*, constant hac ratione quatuordecim generationes. Denique in tertia *tessaradecade* decimaquarta generatio ipse est Christus. Vide Calmet *in Comment.*

Objic. CXLVI. In describenda Christi genealogia *Matthaeus*, et *Lucas* mire dissentiunt. *Matthaeus* enim *Cap. I.* ait *Joseph Mariae* sponsum filium fuisse *Jacob*, quem deducit a *David* per *Salomonem* generationibus vigintiseptem; *Lucas* vero *Cap. II.* eundem *Joseph* filium fuisse scribit *Eli*, quem a *David* per *Nathan*, generationibus quadraginta duabus deducit. Omnes vero *Josephi* progenitores usque ad *Salathiel*, et *Zorobabel* apud *Lucam* alii sunt ab iis, quos *Matthaeus* commemorat; pa-

tique ratione a *Salathiel* usque ad *David* alios *Lucas* parentes nominat, alios *Matthaeus*. Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad confirm.* Duplex est ad hanc celebrem, ac vetustam, atque a *Morphyrio*, *Celso*, et *Juliano* Apostata nobis oppositam difficultatem responsio Theologorum. Prima est, *Matthaeum* descripsisse progenitores *Joseph*, *Lucam* vero *Mariae*. Ait enim *Lucas*: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Eli*; hoc est, putabatur quidem filius *Joseph*, sed erat filius, sive per *Mariam* nepos *Eli*, qui idem est, ac *Joakim* pater *Mariae* virginis; nam *Eliakim*, *Eli*, et *Joakim* nomina sunt unius ejusdemque hominis, ut patet ex *lib. IV. Reg.* **XXV.** quia ab *Eliakim* per apocopen priorum, vel posteriorum syllabarum fit *Eli*, et *Joakim*. Pari ratione ajunt *Mattahaeum* posuisse *Salathielis* parentes per paternam lineam; *Lucam* vero per maternam usque ad *David*. Ex hac responsione, quae nec *Augustino* displicuit, et nonnullis aliis valde placuit; praesertim recentioribus *Galatino*, *Jansehio*, *Genebrando*, *Grotio*, *Spanhemio* aliisque, omnis evanescit objectio; nam quod plures generationes *Lucas*, quam *Matthaeus* recenseat, nihil refert, cum possint in una familia eodem tempore plures esse, quam in alia generationes, presertim cum nonnullas a *Matthaeo*, ut infra videbimus, consulto praetermissas esse constet. Vide eruditam Calmeti Dissertationem *De genealogia J. C.* ubi etiam ea facile dissolvit, quae adversus hanc sententiam objici posse videbantur.

Communior tamen apud Patres alia responsio est, a *Julio Africano* tradita, qui eam ab ipsis *Josephi* cognatis se accepisse scribit in *Epistola ad Aristidem*, nimirum *Joseph* filium *Jacob*, et *Eli* dici potuisse, quia cum *Eli* sine liberis defunctus esset, frater ejus uterinus *Jacob*, ex legis Mosaicae praecepto *Deuteron. XXV.* **5.** ejus viduam duxit uxorem, ita ut *Joseph* filius fuerit naturalis *Jacob*, et legalis *Eli*. Mirum autem videri non debet, non fuisse hoc a *Matthaeo*, aut *Luca* notatum, cum esset tunc apud Judaeos notissimum, apud quos diligenter familiarum genealogiae servabantur; licet hodie nobis videatur ob antiquitatem obscurum, nec tamen omnino ignotum, cum id ex *Julii Africani* tra-

ditione sciamus. Pari ratione explicant, quomodo *Salathiel* a *Matthaeo Jeconiae*, a *Luca Neri* filius dicatur modo iidem sint, et non diversi, licet ejusdem nominis, apud utrumque Evangelistam *Salathiel*, et *Zorobabel*; nisi dicere malis cum *Maldonato*, aliisque, *Matthaeum* paternam, *Lucam* vero maternam, *Salathielis* originem recensuisse, ita ut *Salathiel* filius fuerit *Jeconiae*, per matrem vero nepos *Neri*; atque ideo tum per paternos, tum per maternos avos, atavosque a *Davide* ortus sit. Vide Maldonatum *Comment. in Matt.* Utraque autem responsio et defendi potest, et nodum difficultatis solvit; prior quidem magna veri similitudine, posterior magna veterum auctoritate.

Inst. Posita hac altera *Julii Africani* responsione, *Matthaeus* ait Christum filium esse *David*, et tamen describit genealogiam *Joseph*, additque Christum non fuisse filium *Joseph*, sed *Mariae*, quae erat ex tribu *Levi*, cum *Luc. I.* dicatur cognata *Elisabeth*, quae erat de filiabus *Aaron*. Ergo pugnantia loqui videtur.

℟. *Negato ant. quoad 2m. partem*, qua dicitur *Mariam* fuisse ex tribu *Levi*, *Neg. cons.* Nam nisi dicere velimus, *Matthaeum* fuisse omnino stupidum, imo stipitem, ac truncum, fateri debemus, notum tunc fuisse omnibus, *Josephum* conjugem accepisse ex eadem familia, scilicet *Mariam* virginem quae per maternam lineam cognata erat *Elisabeth*, ideoque non erat ex tribu *Levi*. Utrum autem id *Josephus* fecerit, lege id praecipiente, *Numer.* XXXVI. propterea quod Maria unica esset heres paternorum bonorum, ut multi Patres opinantur, an alia de causa, parum refert.

Inst. 2.° Cum *Matthaeus* Christum non ex *Josepho*, sed ex *Maria* mirabiliter genitum esse scribat, debebat potius *Mariae*, quam *Josephi* originem edere. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Non enim erat, ut advertit *Hieronymus*, consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus, ordo texeretur; cum praesertim ex eadem familia, ut paulo ante diximus, *Mariam* esse constaret, ideoque *Josephi* origine demonstrata, etiam virginis *Mariae* origo manifesta foret.

Objic. CXLVII. Non semper *Matthaeus* feliciter referre aut explicare videtur vaticinia Prophetarum, Sic I. *Matth.*

IV. 13. ait, advenientе Christo in fines Zabulon, et Nephtali impletam Isaiae Prophetiam Is. IX. *Terra Zabulon, et terra Nephtali via maris trans Jordanem, Galilaeae gentium. Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam*; cum contra Isaias scribat: *Primo tempore alleviata est terra Zabulon, et terra Nephtali; et novissime aggravata est via maris trans Jordanem Galilaeae gentium*, ac deinceps in toto capite tribui quidem Judae fausta denuntiat; illis autem tribubus *Zabulon*, *Nephtali*, et *Galilaeae* tristia potius et adversa. 2.° *Matth.* II. 6. ità recitat *Michaeae* prophetiam: *Tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda*. At Michaeas *Cap. V.* 1. ait *Tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda*. Ibidem autem *Matthaeus* verba Jeremiae XXXI. 15. *Vox in Rama audita est, ploratus, et ululatus*, quae de proxima tribus Judae, et Beniamin captivitate a Propheta dicta sunt, de caede puerorum intelligit. 3.° Sic *Malachiae* verba recitat *Matth. XI.* 10. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuàm, qui praeparabit viam tuam ante te*. Malachias autem *Cap. III.* 1. ait: *Ecce ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam.* 4.° *Matth. XXVII.* 9. ait: *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem: et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israël, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Nihil autem hujusmodi apud *Jeremiam* est, sed apud *Zachariam*, et quidem paulo aliter *Zachar. XI.* 12. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, et projeci illos in domum Domini ad statuarium.* 5. Verba *Isaiae LIII.* 4. *Languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*, quae Petrus I. *Pet.* II. 24. de peccatis explicat, *Matthaeus* de infirmitatibus corporis, ac morbis a Christo sanatis intelligit *Matth. VIII.* 17. *Omnes*, inquit, *male habentes curavit, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et aegrotationes nostras portavit.* Ergo. ...

℞. *Neg. ant. Ad* 1*m*. Quamvis demus, Isaiam in sensu *litterali* praedicere illarum tribuum vastitatem, ac depraedationem, quae primo levius facta est a *Teglatphalasar*, deinde gravius a *Salmanasar*; non inde sequitur, spirituali sensu intelligi non posse de vastatione imperii diaboli, quam Christus primo in illis regionibus auspicatus est, quarum incolae sedentes olim in tenebris errorum, lucem magnam Christo praedicante viderunt. Vide *Maldonatum* et Tirinum in *Isaiam*.

Ad 2m. Nonnulli quidem verba *Michaeae* per modum interrogationis legenda esse putant: *parvulus ne es?* quasi diceret: *nequaquam parvulus es vicus*. Sed omissa etiam interrogatione, advertendum est, Evangelistas non tam Prophetarum verba sectatos esse, quam sensum. Dixerat autem Propheta *Bethlehem*, quae prius *Ephrata* vocabatur, tribuique Juda attributa est, parvulum quidem esse vicum, sive parvum populum, si cum magnis Judae urbibus, quae multa hominum millia, sive multas *Chiliarchias* (hoc enim sonat Hebraicum nomen *alaphim*) continebat, compararetur; nihilo tamen secius ex parvo illo oppido Messiam proditurum, ex quo magna utique ejus gloria futura erat. Recte igitur *Matthaeus* hunc sensum expressit cum ait: *Tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël*. Et fortasse sic olim apud LXX. interpretes legebatur, cum ita hunc locum ex illa versione recitent Origenes *Lib. I. cont. Cels.* Cyprianus *Lib. II. testim. Cap.* 12. Eusebius, Ambrosius, Augustinus etc. Vide *Tirinum*, *Menochium*, *Estium*, *Maldonatum*, *Calmet* etc. Verba autem *Jeremiae* XXXI. 15. quae in eodem Capite recitat *Matthaeus*, licet ad litteram de proxima tribus Beniamin, et Judae vastatione, et captivitate intelligenda sint; in sensu tamen spirituali etiam de crudeli illa infantium caede intelligenda esse, ex *Matthaeo* discimus, in quo idem Spiritus S. loquebatur, qui haec *Jeremiae* dictaverat.

Ad 3*m*. Cum Trinitatis mysterium obscurius in veteri Testamento revelatum, luculentius in novo explicatum fuerit; Christus ipse apud *Matthaeum* XI. 10. ostendit, dicta esse a Patre ad Filium, quae apud *Mala-*

chiam Deus de seipso ait: *Ecce ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam*; ideoque Christus ea sic expressit: *Mitto Angelum meum, ante faciem tuam*, simul ostendens et unam filii cum Patre naturam, et personas duas.

Ad 4m. Missis variis aliorum opinionibus,quas fuse expositas apud *Maldonatum*, et *Calmet* invenies, verisimilius est, *Matthaeum* nomen Prophetae non posuisse, sicut in aliis etiam locis facere consuevit; deinde vero scriptorem aliquem *Jeremiae* nomen ad marginem posuisse, quod culpa deinceps librariorum in textum irrepsit. Testatur enim Augustinus *Lib. III. De cons. Evang.* in nonnullis Latinis codicibus ista tantum verba haberi: *Tunc adimpletum est, quod dictum est per Prophetam*; nec ab ea lectione plura abludunt exemplaria Graeca, Latina, Syriaca, Arabica, quae a *Millio*, atque *Jansenio* laudantur. Sed si cui haec responsio displiceat, quasi caresecare nodum, non dissolvere videatur; advertendum est, potuisse *Matthaeum* ista accipere ex aliis, qui hodie non extant, *Jeremiae* libris; alia enim *Jeremiam* scripsisse praeter ea, quae nunc habemus, ex *Lib. II. Machab. Cap. II.* 1. constat; potuisse etiam Judaeos ex *Jeremia* delere, quod est hic a *Matthaeo* recitatum, ut Eusebius *Lib. X. Demonstr. Evang.* opinatur; item potuisse haec ex apocrypho aliquo libro desumere, ut putat *Origenes*, cum non omnia in apocryphis libris falsa sint; sicut et Paulus *II. Tim. III.* 8. ex apocrypho libro accepisse creditur, quae de *Janne*, et *Mambre* scripsit, et Judas Apostolus quae de *Enoch* habet *Jud.* 14. Certe *Hieronymus* apocryphum *Jeremiae* librum a Judaeo quodam sibi exhibitum testatur, in quo integer locus iste habebatur, qui a *Matthaeo* recitatus est; nec est absurdum, potuisse haec *Matthaeum* a *Jeremia* dicta per traditionem accipere; denique potuisse etiam hic aliquid amanuensium incuria peccari, et pro *Zacharia Jeremiam* mendose scribi.

Ad 5.m jam *Lib. VI. cap. IX.* §. 2. respondimus.

Objic. CXLVIII. Narrat Matthaeus *Cap. II.* Magos stella duce Bethlehem venisse, et quidem adamussim ad locum ubi Christus erat, ibique eum adorasse. Atqui hoc absurdum videtur. Si enim stella in suprema caeli altitudine versabatur, nullum designare poterat locum,

Si vero erat terrae vicinior, totam occupare debuit mole sua tellurem. Ergo etc.

℟. *Neg. min.* Stellae enim dicuntur etiam ignea *meteora*, quae in suprema aëris regione versantur. Unde Virgilius:

Saepe etiam stellas vento impendente videbis
Praecipites caelo labi.

Objic. CXLIX. Quae Matthaeus scribit *Cap. II.* de caede puerorum in Bethlehem falsa videntur, cum sileat omnino *Josephus* de re tam gravi. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Silentium enim *Josephi* argumentum est, ut ajunt, *negativum*, quod adversus positivam *Matthaei* historiam, qui in facto tam publico mentiri non poterat, praevalere nullo modo debet.

Objic. CL. Idem Matthaeus *Cap. II.* 23. ait: *Veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazaret, ut adimpleretur quod dictum est per prophetas, quoniam Nazaraeus vocabitur.* Atqui a nullo Prophetarum hoc invenitur praedictum; et si praedictum esset, cum rei veritate non congrueret; Nazaraeis enim vinum bibere nefas erat; cum contra Christus a vino non abstineret; unde dicitur *Luc. VII.* 34. *manducans, et bibens vinum*, et in vino Eucharistiam instituit. Ergo.

℟. *Neg. min.* Quod enim attinet ad silentium Prophetarum de nomine *Nazaraei*, nonnulli quidem putant, Matthaeum id non a canonicis Prophetarum libris, sed ex veteri traditione, librisque non canonicis, sed tamen non dubiae fidei, accepisse; qua de re vide *Chrysostomum Homil. IX. Theophylactum, Euthymium, Clericum*, etiam *in notis ad Haminond, et Menardum in not. ad Epist. Barnab.* Alii existimant, respexisse Matthaeum ad ea verba Isaiae: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet Is. XI.* 1. Flos enim Hebraice *Netzer* dicitur, ita ut Nazaraeus floridum significare possit, a qua sententia *Hieronymus* non videtur abhorrere *Comm. in Is. et in Matth.* eamque *Estius, Jansenius, Hammondus* sequuntur. Sed cum alia ratione in Hebraeo scribatur *Netzer* flos, alia *Nazaraeus*, satius est, ut dicamus, Matthaeum non peculiarem prophetae alicujus locum citasse, sed Prophetarum omnium respexisse sententiam, qui Christum praestantis-

sima sanctitate insignem fore praedixerant, quod *Nazaraei* nomen significat; ideoque non ait: *quod dictum est per prophetam*, *sed per prophetas*, ut ipse observat *Hieronymus*. Non ergo Christus *Nazaraeus* dicitur, quia Nazaraeorum voto se obstrinxerat a vino abstinendi, sed propter eximiam, ac perfectissimam sanctitatem, cui nihil obstabat, imo valde congruebat, aliquando vinum bibere, cum id ad hominum salutem, quam propositam habebat, conducere poterat.

Objic. CLI. In eodem *Cap. II.* 15. ait Matthaeus, in reditu J. Christi ex Ægypto impletum esse *Osee* vaticinium *Os. XI.* 1. *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Atqui verba illa, ut constat ex contextu, dicta sunt de populo Israël. Ergo.

℟. *Dist. min.* Secundum litterae corticem, *conc.* In sensu spirituali, quem praecipue eo in loco Deum spectasse, ex *Matthaeo* discimus, *neg.*

Objic. CLII. *Matth.* V. 16. ait Christus: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* At contra *Cap.* VI. 1. contrarium praecipere videtur; ait enim: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Ergo.

℟. *Neg. min.* Prohibet enim Christus *Matth.* VI. bona opera eo fine, atque consilio coram hominibus facere, ut ab eis videamur, atque inanem inde nobis gloriam aucupemur. Non vetat autem bona opera ita facere coram hominibus, ut inde glòria Deo debita tribuatur.

Inst. In *Cap.* VI. *Matth.* omnem Christus cautionem adhibere jubet, ne opera nostra bona ab hominibus conspiciantur. *Cum facis eleemosynam . . . nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua . . . . . Cum oraveris intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito . . . . . Cum jejunas, unge oleo caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Quantum necesse est ad ostentationem, et inanem gloriam vitandam, *conc.* Secus, *neg.* Satius est enim, ut in bonis operibus fugiamus adspectus hominum, quam ut ea inanis gloriolae vitio corrumpa-

mus. Ceterum non vetat, bona opera coram aliis facere, sed significat, omnem vanae ostentationis umbram esse vitandam. *Hoc enim est*, inquit Estius, *Patrem in abscondito, et in cubiculo, et clauso ostio orare, nullam humanam laudem in oratione nostra quaerere*; ita ut praecepti non littera sit attendenda, sed spiritus.

Objic. CLIII. *Matth.* V. 33. ait Christus: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non pejerabis; reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis non jurare omnino: neque per caelum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum: sit autem sermo vester: est est, non non: quod autem his abundantius est, a malo est.* Quibus verbis quodcumque juramentum prohibere videtur, sicut ex hoc loco *Waldenses*, *Wiclefistae*, *Anabaptistae* docuerunt. Atqui juramentum rite emissum, non malum, sed laudabile esse, et in Dei gloriam cedere, ex utroque Testamento patet. Ex veteri quidem habemus in *Psal. LXII. Laudabuntur omnes qui jurant in eo*. et Jerem. IV. 2. *Jurabis, vivit Dominus in veritate, judicio, et justitia*: ipseque Deus saepenumero juramentum adhibet *Genes. XXII.* 16. *Psal. CIX. etc.* Ex novo vero Testamento idipsum perspicuum est Apostolorum exemplo *Rom. I.* 9. *Galat. I.* 20. *et alib.* Ergo.

℟. *Dist. maj.* Prohibet Christus quodcumque juramentum sponte, ac sine ulla necessitate, ac justitia emissum, *conc.* Secus, *neg.* Scribae igitur, et Pharisaei solum perjurium, quo falsum aliquid per Deum juratur, vetitum esse putabant, ut recte advertit *Estius*, et *Calmet*, quamvis aliter opinetur *Maldonatus*; ceterum qui per Deum sine necessitate jurasset, vel etiam falso per caelum, per terram, per Jerosolymam, per caput suum, cum jurisjurandi religione non teneri. Hanc igitur Christus opinionem corrigens praecipit non jurare omnino, hoc est neque per Deum, neque per caelum, neque per terram etc. Quod ita intelligendum est, si necessitas nulla cogat; idque non solum propter pejerandi periculum; verum etiam propter Dei ipsius honorem, quem sine ulla necessitate testem

invocari, indignum, atque indecorum est. Licere autem in necessitate juramentum modo et veritatem, et justitiam adjunctam habeat, neque id a Christo vetitum, non solum ex perpetua Ecclesiae traditione, quae vel sola sufficeret, sed ex ipsa Apostolorum consuetudine intelligimus. Quod vero subjungit Christus: *Quod his* (nempe *est est*, *non non*) *abundantius est, a malo est*, vel significat a malo, sive a diabolo inventa esse, ac suggeri abundantia, sive supervacanea juramenta, vel semper a malo aliquo, puta ab hominum incredulitate, calliditate, mendacio, oriri juramenti necessitatem. Vide Augustinum *Lib. I. de Serm. Dom. in monte, et in Epist. ad Galat. Cap. I. Estium, Maldonatum, Calmet Comment.*

Objic. CLIV. Idem Matthaeus *Cap.* VIII. 5. ait: *Cum autem introisset* (Jesus) *Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum; et dicens* etc. Atqui in hoc ei Lucas *Cap. VII.* 3. contradicit, ait enim. *Et cum* (Centurio) *audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judaeorum.* Et cum Jesus domum ejus adventaret, *misit ad eum amicos*. Ergo.

℟. *Neg. min.* Accedere enim recte etiam ille dicitur, qui per procuratorem venit; quod enim quis per alium facit, censetur per se ipse facere. Ita Augustinus *Lib. De cons. Evang.*, et omnes passim interpretes. Responderi etiam potest cum *Chrysostomo*, Centurionem misisse primo ad Jesum seniores; cum autem audisset, eum domum venturum esse, misisse amicos, rogans ne domum veniret, cujus honoris se putabat indignum. Sed cum Jesus accedere perseveraret, Centurionem ipsum ad Jesum accessisse.

Objic. CLV. In eodem *Cap.* VIII. 22. *Matthaeus*, Christum discipulo veniam petenti, ut ad sepeliendum patrem suum pergeret, ita respondisse: *sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos*; mortui autem priore loco ii intelliguntur, qui spiritu mortui in peccato sunt, ut *Augustinus*, aliique docent, et ex re ipsa perspicuum est; neque enim qui corpore sunt mortui alios mortuos sepelire possunt. Vult ne igitur hoc sepeliendi mortuos officium scelestis dumtaxat hominibus, nullo modo justis, et Christi discipulis convenire? Atqui hoc

valde absurdum est, cum illud charitatis officium et naturalis pietas, et ipsa Scriptura commendet. Ait enim ad Tobiam Angelus Raphaël, *Tob. XII.* 12. *Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.*

℟. *Neg. maj. quoad* 2m. *part.* Non enim ibi Christus sepeliendi mortuos officium generatim justis hominibus, suisque discipulis interdicit; sed aliis relinquendum praecipit, cum ab officiis gravioribus, et quae in tempore magis urgent, abducunt. Diximus enim *Lib. IX. Cap.* 35. saepe ita simul concurrere officia virtutum, ut simul omnia praestari non possint; qua in caussa quod majus est, et gravius urget, praeferendum esse, ratio ipsa docet. Periculum autem erat, ut *Chrysostomus*, et *Basilius* observant, idque Christus certo fortasse praevidebat, fore uti si discipulus ille ad patrem sepeliendum discederet, testamento, hereditate, tutela, aliisque, ut fieri solet, subnascentibus curis, a divino obsequio, atque ab Apostolatus munere, ad quod vocatus erat, divelleretur. Cum igitur non deessent alii, qui quamvis scelesti, non essent tamen illud sepulturae officium neglecturi, merito Christus ob eam caussam discedendi veniam discipulo negavit.

Objic. CLVI. Narrat Matthaeus *Matth. VIII.* 29. daemones ex homine a Christo expulsos, eo permittente, in gregem porcorum invasisse, qui se praecipites in mare dederunt. Atqui hac in re plura videntur absurda, et falsitatis indicia; 1.° enim Judaeis suillam carnem manducare non licebat, ideoque nec porcos alere. 2.° Quod *Matthaeus* factum esse scribit in *regione Gerasenorum*, id *Lucas*, et *Marcus* in Graeco textu accidisse narrant in regione Γαδαρηνων *Gadarenorum*; distinctae, autem civitates *Gadarenorum*, et *Gerasenorum* erant, cum *Gadaram*, a *Gerasa* Plinius, aliique veteres distinguant. 3.° *Matthaeus* duos ait fuisse daemoniacos, *Marcus* vero, et *Lucas* unum. Ergo.

℟. *Neg. min.* Quod enim ad 1m. attinet, absurdum est adversarios hodie melius nosse veterum Judaeorum

mores, quam Matthaeum in Judaea natum. Vel ergo *Geraseni*, et *Gadareni* vulgo Judaei non erant, licet inter ipsos Judaei mixti essent, ut ex Josepho *Lib. II. de bello Jud.*, aliisque auctoribus constat, vel Judaeis ipsis suillam quidem carnem manducare nefas erat, porcos tamen alere, quos vicinarum regionum incolis venderent, licebat. Quamvis enim id lege quadam *Hircani*, et *Aristobuli* tempore vetitum, scribat *Casaubonus*, utrum tamen illa lex vigeret adhuc tempore Christi, non constat. *Ad* 2m. Licet *Gadara* a *Gerasa* distincta esset, tamen finitimae illae civitates erant; ambae in *Decapoli*; et quia *Gadara* insignis erat ejus provinciae civitas, poterat in agro, vel ditione sua *Gerasam* complecti, ita ut regio *Gerasenorum* sit etiam ager *Gadarenorum*, ut observat *Calmetus*. *Ad* 3m. Licet duo, ut ait *Matthaeus* daemoniaci illi essent, unus tamen fortasse insignior, ac ferocior, qui et a legione daemonum obsidebatur, ideoque de ejus praecipue curatione *Marcus*, et *Lucas* mentionem faciunt, ut observat *Chrysostomus*.

Objic. CLVII. *Matth. IX.* 18. dicitur Synagogae princeps, quem *Jairum* fuisse *Marcus*, et *Lucas* commemorant, accessisse ad Jesum dicendo: *Domine filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet.* Contra vero *Marcus Cap. V.* et Lucas *Cap. VIII.* ajunt, filiam illam aegrotasse quidem, nondum tamen esse mortuam, cum *Jairus* ad Jesum venit, ideoque dixisse: *Quoniam filia mea in extremis est.* Quae duo valde diversa sunt, cum longe majorem fidem ostendisset Synagogae princeps, si filiae jam defunctae resurrectionem postulasset, quam aegrotantis sanitatem. Addit autem *Matthaeus*, dixisse Christum, cum ad principis illius domum pervenisset: *Recedite; non est enim mortua puella, sed dormit*; quod tamen falsum erat. Ergo pugnantia loquuntur Evangelistae.

℟. *Neg. cons.* 1.° Quia tam graviter illa aegrotabat, cum *Jarius* ad Jesum profectus est, ut vere, atque eodem sensu dicere potuerit: *defuncta est*; et *in extremis est*, hoc est, adeo in extrema vitae linea constituta, ut pro desperata, imo et defuncta haberi posset. 2.° Quia cum Jairus jam ad Jesum pervenisset, et cum eo loqueretur, per nuntios certior factus est, defunctam esse fi-

liam, ut iidem Marcus, et Lucas testantur *Marc. V.* 35. *Luc. VIII.* 49. ac proinde utrumque dicere potuit. In eo vero, quod Christus ait: *Non est mortua puella, sed dormit,* non negavit esse defunctam, nisi eo sensu, quo illi existimabant, scilicet ut in morte permaneret; sed eam dormire affirmavit, quia facilius eam a morte revocaturus erat, quam si a somno excitaret. Quod et alio in loco de Lazaro ait *Joan. XI.* 11. *Lazarus amicus noster dormit.* Nisi dicere cum *Hieronymo*, et *Chrysostomo* malis, non fuisse mortuam Deo, cui omnia vivunt.

Objic. CLVIII. *Matth. X.* 10. Christus Apostolos ad praedicandum mittens ait; *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Et similia apud Lucam *Cap. IX.* leguntur. Contra vero Marcus *Cap.* VI. expresse ait, Christum Apostolis virgam, et calceamenta permisisse; ait enim: *Praecepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, neque in zona aes, sed calceatos sandaliis.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Quod enim pertinet ad virgam, missa *Grotii*, *Baezae*, quibus accedit etiam *Natalis Alexander*, opinione, qui putant, Christum *Matth. X.* prohibuisse tantum plures deferre virgas, uti viatores facere solebant, duplicis esse potest generis virga, vel enim ad feriendum, sive ad defendendum instructa est, vel ad innitendum in via, gressusque firmandos, ac sustentandum corpus, ut itineris laborem ferre possit. Illam ferre prohibuit Christus Apostolos, utpote satis divino praesidio tutos; hanc permisit, utpote cuicumque vel pauperrimo viatori convenientem. Ad calceamenta vero quod attinet, ex *Matthaei* verbis patet, Christum prohibuisse dumtaxat, ne duplicia haberent; ait enim: *neque duas tunicas*, neque calceamenta, idest ne mutatorias tunicas, aut mutatoria calceamenta deferrent, sed totos se committerent providentiae illius, a quo missi erant, neque rerum supervacanearum essent solliciti.

Objic. CLIX. *Matth. XI.* 9. De Joanne Baptista loquens Christus ait: *Sed quid existis videre? Prophetam? etiam dico vobis, et plusquam prophetam.* Et

Luc. VII. 28. *Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptista nemo est*, imo et de eo Zacharias in Cantico ait *Luc. I.* 76. *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis.* At contra ipse Joannes a Pharisaeis interrogatus *Joan. I.* 21. *Propheta est tu? respondit non.* Ergo.

Neg. cons. Utrumque enim verum erat, et Joannem maximum esse Prophetam, et non esse Prophetam eo sensu quo a Pharisaeis fuerat interrogatus. Putabant enim Judaei nonnulli, Joannem ipsum esse Messiam, qui Propheta per *antonomasiam* in Scripturis dicitur *Deuteron.* XVIII. 15. vel unum ex veteribus Prophetis redivivum; sicut et Christum alii esse dicebant *Eliam*, alii *Jeremiam* aut unum ex Prophetis *Matth. XVI.* 14. Hoc igitur sensu Joannes Prophetam se esse negat; cum praesertim non, sicut olim Prophetae, ea quae longo post tempore futura essent, praediceret, sed praesentem Christum, proximumque caelorum regnum veluti digito indicaret, qua in re plusquam Propheta erat. Vide Augustinum *Tract.* IV. *in Joan.* Gregorium M. *Homil.* VII. Rupertum, Estium, Maldonatum etc.

Objic. CLX. *Matth. XII.* 38. ita Christum Scribae quidam, et Pharisaei interpellant: *Magister, volumus a te signum videre.* Quibus ille respondet: *Generatio mala, et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae Prophetae.* Non ergo ulla miracula fecisse videtur; alioquin nec illi signum petiissent, nec ipse fassus esset, signum nullum se iis dedisse, aut daturum; cum pronum esset respondere, impudenter illos signum petere post tot publica, atque stupenda prodigia. Falsum igitur videtur, quod de Christi miraculis Evangelistae memoriae prodiderunt.

℟. *Neg. cons.* Non enim quodcumque miraculum Pharisaei petebant, cum innumera vidissent, sed signum aliquod de caelo postulabant, quo perspicuum fieret, cetera ejus miracula non ope daemonis, ut ipsi calumniabantur, sed divina virtute facta esse. Unde et Lucas XI. 15. hanc eandem Pharisaeorum quaestionem referens ait: *Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia. Et alii tentantes signum de caelo quaerebant ab eo.* Quod et *Matthaeus* alio in loco notat *Matth. XVI.* 1. *Accesserunt*, inquit,

Pharisaei, *et Sadducaei tentantes*, *et rogaverunt eum*, *ut signum de caelo ostenderet eis.* Volebant quippe, ut inquit Hieronymus, *vel in morem Eliae ignem de sublimi venire*; *vel in similitudinem Samuelis*, *tempore aestivo contra naturam mugire tonitrua*, *coruscare fulgura*, *imbres ruere.* Videns autem Jesus, propter eorum superbiam, atque obstinationem fore uti quamvis signa de caelo vidissent, non tamen crederent, sed ea ipsa vel occultis naturae caussis tribuerent, vel potestati, fraudibusque diaboli, qui etiam ignem, ac ventum in caelo ad frangendam *Jobi* fortitudinem suscitavit, atque in Ægypto prodigia Moysis aliqua imitatus erat, propter quae in Scripturis princeps potestatis aëris hujus appellatur *Ephes. II* 2. noluit eis signum, quod petebant, ostendere; sed longe majus quam ipsi postulabant, se facturum praedixit; quod et a diabolo fieri nullo modo poterat, suam scilicet post triduum resurrectionem, quae in *Jonae* prophetae casu obscure praenuntiata erat. Non desunt autem Interpretes, qui eos, quos signum a Christo postulasse, refert *Matthaeus* non eos ipsos fuisse opinantur, qui Christi miracula viderunt, sed alios, qui id vel curiositatis, vel tentandi causa postulabant, quae responsio et ipsa quidem satis objectionem solvit; prior tamen nobis interpretatio verisimilior est.

Objic. CLXI. *Matth.* XV. 24 ait Christus Chananaeae mulieri: *Non sum missus*, *nisi ad oves*, *quae perierunt domus Israël.* Atqui ex Prophetis constat, Christum ad gentes etiam missum esse, unde dicitur ab Isaia. *Dux et praeceptor gentium*: *Salus Dei usque ad extremum terrae etc.* et apud Zachariam *Cap. II.* 8. *Missit me ad gentes etc.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Congruum enim erat, ut Christus ipse per se Israëlitis praedicaret, ex quorum genere natus erat. Sed quia ad salutem etiam gentium missus erat, illis praedicaret per Apostolos, cum oblatam salutem Israëlitae ipsi stulte repulissent, ut docet Apostolus, *Rom. XV. et al.*

Objic. CLXII. Christus pluribus in locis apud *Matthaeum*, aliosque Evangelistas Scribarum, et Pharisaeorum doctrinam reprehendit *Matth.* XV. 9. *Sine causa colunt me*, *docentes doctrinas*, *et mandata hominum.*

Matth. XVI. 6. *Cavete a fermento Pharisaeorum, et Sadducaeorum.* Matth. XXIII. 16. *Vae vobis duces caeci. . . . Stulti, et caeci* etc. Et tamen sic discipulis praecipit *Matth. XXIII. 2. Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei, omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate et facite: secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim, et non faciunt.* Quibus verbis doctrinam Pharisaeorum, et Scribarum probat, imo et servandam docet: licet opera reprehendat. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Probat Christus Scribarum, et Pharisaeorum doctrinam illam, quam *super cathedram Moysis*, hoc est secundum Mosaicae legis mandata, vel iis non contraria proponebant, *conc.* quam non super Moysi cathedram, nec secundum Mosaica praecepta, sed ex sua vel interpretatione prava, vel traditione contra legem obtrudebant, *neg.* Quamvis enim discipulis de Magistrorum suorum doctrina, atque praeceptis nefas sit judicare; erant tamen multa, in quibus a Mosaicae legis sensu Pharisaeorum interpretationes, ac traditiones nimis perspicue abhorrebant. Addit Augustinus *Lib.* IV. *de Doctr. Christian. Cap.* 26. Super cathedram Moysis docentes Legis Doctores non falsa, sed vera Legis praecepta proposuisse, cum ipsa eos ad verum docendum cathedra compelleret: quam sententiam immerito refutat *Maldonatus*; Synagoga enim *ex cathedra* docens ante Christi mortem nullum contra fidem, aut bonos mores docuisse errorem, compertum est; idque sibi *Augustinus* voluisse constat.

Inst. Postquam dixerat Christus: *Quae dixerint vobis, facite*, subdit: *Dicunt enim, et non faciunt; alligant enim onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum* (metaphora ea est a sarcinis jumentorum derivata) *digito autem suo nolunt ea movere.* Atqui opera illa gravia, atque *importabilia* non erant Mosaicae legis praecepta; tum quia ea semper Christus commendavit, et coluit; tum quia nondum erant abrogata; ideoque injuria in Deum ejus legis auctorem fuisset ejus praecepta gravia, et *importabilia* appellare. Erant igitur *onera gravia, et importabilia* ipsae Pharisaeorum interpretationes, et traditiones, ac

proinde cum dicit, *quaecumque dixerint vobis, servate, et facite*, ipsas illorum traditiones servandas docuit, quas tamen tum alibi, tum in eodem capite tam acerbe reprehendit. Ergo.

℟. *Trans. min. Neg. cons.* Dixi *transeat min.* Etenim, ut advertit *Estius*, non absurde per gravia, atque importabilia onera ipsa Legis Mosaicae praecepta ceremonialia possunt intelligi. Nam et Petrus *Act. XV.* 10. ea vocat *jugum, quod nec ipsi* tunc Judaei, *nec Patres eorum portare potuerunt* : et Paulus *Galat. VI.* 13. ait: *Neque enim qui circumciduntur Legem custodiunt:* et ipse Christus *Joan. VII.* 19. *Moyses*, inquit, *dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem.* Neque vero erat Deo injuriosum vocare latam ab ipso legem onus grave, atque *importabile*, quia sapientiae Dei fuit tale onus populo illi durae cervicis imponere, ad quod onus ferendum non negabat ipse ex meritis Christi venturi saltem sufficientem gratiam, nisi forte superbis, aut alioquin indignis. Pharisaei autem praecepta ipsa etiam minima, et ceremonias alias sine ulla humanae fragilitatis commiseratione severissime exigebant ab aliis, quamvis ipsi graviora, et moralia, sine ulla religione contemnerent; ideoque ait Christus: *dicunt, et non faciunt*; *alligant onera importabilia, et imponunt super humeros hominum; ipsi autem nolunt ea digito suo movere.*

Sed quamvis daremus, quod in objectione positum est, per gravia onera, atque *importabilia* falsas Pharisaeorum interpretationes, ac traditiones intelligendas esse non illud esset consequens, Christum repugnantia esse locutum. Hortatus est enim populum, ut onera illa, quamvis gravia, nec divinitus praecepta, sed a Scribis et Pharisaeis imposita, ferret, modo non essent divinae legi contraria (qualia erant ea, quae Christus praecipue reprehendit), tum ne ulla scandali praeberetur occasio, tum ne inde Christum Pharisaei ullo pacto calumniari possent, quasi populum a debita pastoribus obedientia averteret.

Objic. CLXIII. *Matth. XXIII.* 8. Ait Christus: *Vos autem nolite vocari Rabbi; unus est enim magister vester; omnes autem vos fratres estis . . . , Nec vocemini Magistri, quia magister vester unus est Christus.* Quod

praeceptum Jacobus Apostolus *Jac. III.* 1. repetit: *nolite*, inquit, *plures magistri fieri.* At Paulus seipse doctorem, sive quod idem est, *Rabbi* appellat *I. Tim. II.* 7. *In quo*, inquit, *positus sum ego praedicator*, *et Apostolus* (*veritatem dico non mentior*) *doctor gentium in fide*, *et veritate.* Idem Episcopum vult esse *Doctorem I. Tim III.* 2 Et in Epistola ad Corinthios *I. XII.* 2. *Quosdam quidem*, inquit, *posuit Deus in Ecclesia*, *primum Apostolos*, *secundo Prophetas*, *tertio Doctores*: idque in Epistola ad Ephesios *Cap. IV.* 11. repetit. Alioqui numquid absurdum, aut nefas est, ut qui alios docet, *Doctor* appelletur? Ergo.

℞. *Neg. cons.* Non enim vetat Christus, doctorem vocari eum, qui revera doctor, et magister est; praesertim si a Deo doctor in Ecclesia datus, ac positus fuerit, ut Apostolus Paulus, ut Episcopi divinitus ad sacrum ministerium vocati, ut sancti Ecclesiae doctores: sed 1.° Pharisaeorum superbiam, jactantiam, inanem gloriam coercet, qua vocari optabant, et ambiebant, ab hominibus *Rabbi. Amant*, inquit, *primos recubitus in coenis*, *et primas cathedras in synagogis*, *et salutationes in foro*, *et vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi*: hoc est, nolite inanem hanc gloriam quaerere, et affectare, sed ad humilitatem servandam, vos omnes mementote fratres esse, et unius Christi discipulos. 2 ° Vetat etiam, plures esse atque vocari principales magistros, qui more Philosophorum in varias Ecclesiam sectas scindant, ita ut dicatur passim quod apud Corinthios invalescere incipiebat: *Ego sum Pauli*; *ego vero Apollo*; *ego autem Cephae*; *ego autem Christi. I. Cor. I.* 12. cum omnes in Ecclesia doctores, ac magistri nihil aliud, nisi unius omnium Magistri, hoc est Christi doctrinam audire, et tradere debeant.

Objic. CLXIV. In eodem *Cap. XXIII.* 35. *Matthaei* sic Christus Pharisaeos alloquitur: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum etc.* . . . . *ut veniat super vos omnis sanguis justus*, *qui effusus est*, *a sanguine Abel justi*, *usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae*, *quem occidistis inter templum*, *et altare.* Missa autem celebri quaestione, de qua tam varie opinantur interpretes, quis iste *Zacharias* fuerit; non videtur justitiae con-

sentaneum, ut Pharisaei poenam luerent homicidiorum omnium, quae ab origine mundi patrata sunt. Quae enim ipsorum culpa in caede Abel, tot saeculis ante diluvium? quaenam in caede Prophetarum, qui tot ante saeculis occisi fuerant? Ergo.

℟. *Neg. min.* De quaestione quidem quis ille, de quo Christus loquitur, *Zacharias* fuerit, non est hic dicendi locus. Quamvis enim eum omnino ignoraremus; non inde tamen ulla veritati Scripturarum calumnia inferri posset. Non enim cum Christus Judaeis commemorasset, nisi fuisset tunc apud eos notissimus, licet hodie ob temporum vetustatem, atque ob variantes in veteris Testamenti textu lectiones, certo eum hodie non possemus definire. Ceterum *Hieronymi* sententia, quam Ecclesia in sacris lectionibus adhibet, nota cuique est; aliorum opiniones apud *Maldonatum*, et *Calmet* invenies. Quod vero pertinet ad minarum Christi veritatem, atque justitiam, intelligendum est, mensuram, quam Pharisaei paulo post impleturi erant, de qua Christus ait: *implete mensuram Patrum vestrorum*, scilicet ipsam Christi Filii Dei necem, ejusque post resurrectionem discipulorum gravitate suâ homicidia omnia a mundi exordio patrata non aequasse solum, verum etiam excessisse; ideoque non immerito tantam ipsis denunciari poenam, quae omnibus illis sceleribus vindicandis aequa foret; cum praesertim Judaei veteres illos sanctorum homicidas imitando, consentire iis, eorumque approbare opera facto ipso quodammodo viderentur; unde ait Christus apud Lucam, *Luc. XI.* 48. *Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum.* Vide *Chrysostomum*, *Hieronymum*, *Bedam*, *Maldonatum*, *Grotium*, *etc.*

Objic. CLXV. *Matth. XXVI.* Ait Evangelista mulierem, quam Mariam Magdalenam fuisse testatur Joannes *Joan. XII.* allato alabastro unguenti pretiosi, unxisse caput Jesu. *Accessit*, inquit, *mulier habens alabastrum unguenti pretiosi*, *et effudit super caput ipsius recumbentis.* Contra *Joannes* ait, unguentum illud effusum esse super pedes Jesu. *Maria ergo*, inquit, *accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi*, *et unxit pedes Jesu.* Ergo

Digitized by Google

℟. *Neg. cons.* Utrumque enim verum est, et caput, et pedes Jesu unguento delibutos esse: caput quidem, quia haec erat in couviviis consuetudo orientalium, ut discumbentes caput ungerent; unde Christus, ne inanem ex jejunio ipso gloriam discipuli aucuparentur ait: *Matth. VI.* 17. *Tu autem cum jejunas unge oleo caput tuum.* Et *Psal. XXII. Parasti in conspectu meo mensam . . . . impinguasti in oleo caput meum:* pedes vero tum ad Christi dignitatem magis testandam, tum ad mysticas alias significationes.

Objic. CLXVI. *Matth* XXVI. 34. Ait Christus Petro: *Antequam gallus cantet, ter me negabis*, quae eam videntur insinuare sententiam, ut ante primum galli cantum ter Christum Petrus negaturus esset. Atqui *Marci* XIV. 30. aliter ea Christi praedictio refertur: *Hodie*, inquit, *in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus*; idque revera accidisse in eodem *Marci* capite legimus. Ergo.

℟ *Neg. maj. quoad* 2m. *part.* Scilicet verba Christi apud *Matthaeum* id significare, quod in objectione positum est. Quod enim obscurius ait *Matthaeus*: *antequam gallus cantet*; id clarius explicat *Marcus* dicens: *priusquam gallus* non semel sed *bis vocem dederit.* Quapropter illud *Matthaei*, *antequam gallus cantet*, idem sonet, ac si dictum esset: *antequam gallus cantum suum integret, aut compleat.*

Objic. CLXVI. Generalis illa Christi sententia *Matth. XXVI.* 52. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*, veritati non videtur consentanea. Multi enim fuerunt homicidae, qui nequaquam violenta morte perierunt. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Sensus enim verborum Christi non rerum eventum, sed jus, ac meritum spectat. Omnes scilicet, qui privata auctoritate districto gladio hominem occiderint, et ipsi gladio perimi merentur. Quod et in *Genesi* Deus *Cap. IX.* 6. tamquam naturae legem, quam hic Christus spectasse videtur, sanxit: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.*

Objic. CLXVIII. *Matth. XXVI.* 57. Ait Matthaeus: *At illi tenentes Jesum duxerunt ad Caipham principem Sacerdotum, ubi Scribae, et seniores convenerant.* At

huic narrationi *Joannes* adversari videtur *Joan. XVIII.* 12. *Cohors ergo*, inquit, *et tribunus*, *et ministri Judaeorum comprehenderunt Jesum*, *et ligaverunt eum*, *et adduxerunt ad Annam primum*; *erat enim socer Caiphae.* Ergo.

℞. *Neg. ant.* Ipse enim Joannes XVIII. 24. ait, Christum ab *Anna* ad *Caipham* fuisse missum; quamvis Matthaeus eam omiserit facti circumstantiam.

Objic. CLXIX. *Math. XXVII.* 34. *Et venerunt in locum*, *qui dicitur Golgotha*, *quod est Calvariae locus*; *et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum*, *et cum gustasset*, *noluit bibere.* Contra vero *Marci XV.* 23. *Et perducunt illum in Golgotha locum*, *quod est interpretatum Calvariae locus*; *et dabant ei bibere myrrhatum vinum*, *et non accepit.* Missa autem leviori illa inter utrumque Evangelistam contradictione, quorum alter ait Christum gustasse, alter non accepisse; valde inter se contraria videntur myrrhatum vinum, et felle mistum, quorum alterum Christo bibendum offerre humanitatis erat, alterum immanissimae crudelitatis. Vinum enim myrrhatum apud veteres in deliciis erat, magnoque in pretio. Inquit enim Plinius *Lib. XIV. Cap.* 15. *Laudatissima apud priscos vina erant*, *myrrhae odore condita.* Eoque consilio vinum illud morte damnatis propinabatur, ut levius dolorem ferrent. Vide *Petrum Galatinum Lib. VIII. Cap.* 19. *Baronium*, *Maldonatum*, *Liranum*, *Brugensem*, *Casaubonum*, *Hammondum*. etc. Hinc humanitatis officium videbatur hoc vinum Christo praebere. At contra homini crudelissima morte mox afficiendo vinum felle mixtum, sive ut nonnulli habent Graeci codices, *acetum felle mistum* praebere, nimiae crudelitatis erat. Ergo.

℞. *Neg. min.* Quod enim ad priorem contradictionem attinet, ea facile dissolvitur. Nam quod ait *Matthaeus*: *cum gustasset*, *noluit bibere*, idipsum sibi voluit *Marcus* iis verbis, *non accepit*; cum recte non accipere ille dicatur, qui gustatum liquorem a labiis amovet, ac bibere largius recusat. Gustavit igitur Christus vinum, ne illud sive humanitatis officium, sive crudelitatis argumentum ex indignatione respuere videretur. Noluit tamen largius bibere, ne aut dolorem leniret, si ad hoc

num illud valebat, aut ultro sibi malum inferret, si ad eum magis cruciandum compositus ille liquor per summam crudelitatem fuisset.

Quod vero pertinet ad contradictionem alteram, varie illa quidem a viris doctis composita, et conciliata est. Nonnulli enim, cum myrrha amara sit, putant, Matthaeum Hebraice, vel Syriace scribentem usum esse verbo *rosch* quod generatim amarum significat, ideoque Graecum interpretem posuisse fel; Marcum vero explicasse quid ejus amari caussa fuerit, myrrham scilicet vino mixtam. Vide *Augustinum Lib. III. De cons. Evang. Drusium, Grotium, Piscatorem, Lud de Dieu.* Alii arbitrantur, paratum quidem vinum myrrha mixtum quod de more damnatis ad mortem praeberi consueverat; milites vero, vel Judaeos immani in Christum odio, et crudelitate incitatos fel addidisse ut hac etiam ratione eum et ludificarent, et affligerent. Vide eundem *Augustinum*, *Bedam*, *Strabum* etc. Putat denique Calmet a *Matthaeo* scriptum esse Hebraice *marra* pro *mor*, quod nomen myrrham significat; Graecum vero interpretem legisse *memorah*, quod ab eadem radice derivatum pro felle usurpatur. Quamcumque autem ex his sententiis sequamur, satis apparens illa contradictio dissolvitur. Quod vero nonnulli codices, imo et nonnulli veteres Patres in hoc *Matthaei* loco pro vino acetum habeant, parum nobis incommodat, cum ex meliorum codicum lectione, et ex *Marci* Evangelio mendosam eam esse lectionem, perspicuum sit.

Objic. CLXIX. *Matth. XXVII.* 48. Ait Evangelista: *Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere: ceteri vero dicebant: sine videamus, an veniat Elias liberans eum.* Marcus vero ita rem gestam narrat *Marc. XV.* 36. *Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei dicens: sinite videamus, si veniat Elias ad deponendum eum.* At Joannes *Cap. XIX.* 28. ait, non propterea quod Christus dixerat *Eli*, *Eli* etc. Sed quia dixerat: *Sitio*, idcirco illos *spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulisse ori ejus.* Contraria ergo scripsisse videntur.

R. Neg. cons. Primum quidem illud certum est, non propterea milites, aut qui prope crucem erant, acetum

Christo obtulisse, quia clamans voce magna dixerat: *Eli, Eli, lammasabactani*, quod illi vel non intelligentes, vel irridentes ita interpretabantur, quasi Eliam Jesus vocaret. Quid enim Eliae cum aceto? Sed *Joannes* eam facti circumstantiam notavit, quam ceteri Evangelistae praetermiserant, Christum scilicet, ut Scriptura illa impleretur *Psal. LXVIII. in siti mea potaverunt me aceto*, dixisse: *Sitio*; ideoque acetum ei fuisse oblatum. Neque contrarium ceteri Evangelistae scribunt, licet eam aceti potationem inter cetera militum, ac Judaeorum maledicta, atque convicia referant. Quod autem *Joannes* ait, spongiam hyssopo circumpositam, non evertit quod alii scribunt, impositam esse spongiam arundini. Missa enim eorum opinione, qui putant, hyssopum in Palaestina ad arundinis altitudinem excrescere; quae quidem opinio veritati non innititur, cum *Lib. III. Reg. IV.* hyssopus inter humillimas plantas recenseatur; vel arundini spongia hyssopo circumligata est, veluti vinculo, ne ab arundine divulsa spongia decideret, vel super arundinem ipsam primo hyssopum positum ac ligatum est, deinde hyssopo spongia aceto plena circumposita. Ideo autem adjectum hyssopum nonnulli putant, eaque ratione paratum ibi et acetum, et hyssopum fuisse; quia ad reficiendas damnatorum vires, ac spiritus, ne cito exanimarentur, parari ista consueverant. Scribit enim *Galenus*, hyssopum aceto mixtum exanimatis animum reddere. Vide Maldonatum *in hunc locum.*

Restat ergo dumtaxat apparens illa inter *Matthaeum*, ac *Marcum* contradictio, quorum alter ait, unum Christo acetum praebuisse, ceteros autem dixisse: *sine videamus, an veniat Elias*; alter vero ait, illum ipsum, qui acetum praebebat, dixisse: *sinite videamus, si veniat Elias.* Sed repetendum est quod paulo ante diximus, non ideo acetum Christo oblatum, quia dixerat: *Eli Eli* etc. sed quia dixerat; *Sitio*; quamvis inter ipsa scommata, atque convicia, quae in eum jaciebant, quasi *Eliam* advocaret, acetum etiam in siti praeberent. Haec igitur aceti potatio in textu *Matthaei* veluti parenthesi inclusa legi ita potest: *Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna dicens: Eli, Eli, lammasabactani . . . . Quidam autem illic stantes, et audien-*

tes dicebant : Eliam vocat iste (*Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto , et imposuit arundini , et dabat ei bibere*) *ceteri vero dicebant : sine videamus , an veniat Elias liberans eum.* Quapropter illa verba , *ceteri vero dicebant* , non ad eum referuntur , qui acetum praebebat ; sed ad eos, qui dicebant : *Eliam vocat iste.* Itaque nonnulli dicebant: *Eliam vocat iste* ; ceteri vero dicebant : *Sine videamus, an veniat Elias.* Non igitur absurdum est , ut ille ipse qui acetum sitienti Christo praebebat , esset unus de ceteris , qui dicebant : sine videamus , an Elias veniat , quod *Marcus* affirmat. Quod autem *Matthaeus* scribit *sine videamus* : *Marcus* autem *sinite videamus*, tam leve est , ut difficultatem nullam injiciat ; verbum enim illud *sine* , vel *sinite* ex Hebraici sermonis ingenio adjectum est ; nihilque significat aliud , nisi ; videamus an veniat *Elias* ; *Marcus* vero Graece scribens , quia de uno homine loquebatur acetum porrigente , maluit plurali numero scribere *sinite* , quasi ad ceteros loqueretur, cum *Matthaeus* juxta Hebraicam phrasim singularem numerum (*sine*) adhibuerit ; quia ita passim usurpari solet sive quis ad unum , sive ad plures verba faciat ; ut advertit *Maldonatus.*

Ceterum non desunt interpretes , qui mendosum esse totum *Marci* locum opinantur ; eodemque modo legendum , quo apud *Matthaeum* legitur , idque ex Syriaca versione , atque ex Graecis nonnullis codicibus confirmant. Sed quia , nisi manifestus cernatur error , periculosa semper correctio est ; priorem *Maldonati* responsionem uti verisimiliorem secuti sumus.

Objic. CLXX. Ait *Matthaeus XXVII.* 44. *Idipsum, et latrones , qui crucifixi erant cum eo , improperabant ei.* Quod et *Marcus* affirmat *Marc. XV.* 32. *Et qui cum eo crucifixi erant , conviciabantur ei.* Lucas vero *Cap. XXIII.* 39. *Unus autem* , inquit , *de his , qui pendebant latronibus , blasphemabat eum . . . . . Respondens autem alter increpabat eum , dicens : neque tu times Deum etc.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Nonnulli enim ajunt , principio utrumque latronem convicia in Christum jactasse ; deinde vero alterum , visis , quae fiebant , prodigiis , vel ipsa

Christi patientia, atque modestia motum, conversum esse, atque alterum latronem increpuisse. Ita sentiunt *Origenes*, *Athanasius*, *Chyrsostomus*, *Hilarius* etc. Alii vero putant, *Matthaeum*, ac *Marcum* promiscue locutos, atque usos numero multitudinis pro singulari, ut significarent, omne hominum genus, ne ipsis exceptis, qui cum Christo crucifixi erant, latronibus, ei insultasse, quamvis ex latronibus unus maledictis abstinuerit, imo admirabilem, et prorsus stupendam praesetulerit fidem, ac poenitentiam. Ita *Augustinus*, *Hieronymus*, *Leo M. Gregorius M. Maldonatus*, *Erasmus*, *Grotius*, *Hammondus* etc. Haec autem sententia verisimilior est, cum non desint in Scripturis exempla similia, in quibus numerus multitudinis pro singulari adhibetur *Hebr. XI.* 34. *Luc. XXIII.* 36.

Objic. CLXXI. *Marcus Cap. I.* 2. Isaiam pro Malachia laudat. Ait enim: *Sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: parate viam Domini.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* Missa enim eorum responsione, qui ita *Marci* locum legendum putant: *Sicut scriptum est in prophetis*, ut revera habent complura Graeca exemplaria; advertendum est, duorum ibi *Marcum* laudasse testimonia Prophetarum; *Malachiae* iis verbis *Ecce ego mitto angelum meum*; et Isaiae in sequentibus; *Vox clamantis in deserto.* Isaiam tamen dumtaxat laudavit, propterea quod antiquior erat, ac notior, vel quia, ut advertit *Maldonatus*, *Isaiae* vaticinium praecipue spectavit Evangelista. Vide eundem *Maldonatum*, *Estium*, *Calmet. Tirinum etc.* Solent enim novi Testamenti auctores, Propheta uno laudato, etiam aliorum congerere testimonia.

Objic. CLXXII. Idem *Marcus Cap. II.* 25. ait, Christum Judaeis dixisse: *Numquam legistis, quid fecerit David, quando esuriit ipse, et qui cum eo erant, quo modo intravit, in domum Domini sub Abiathar principe Sacerdotum, et panes propositionis comedit?* Cum tamen id factum esse constet sub ejus patre *Achimelech* I. *Reg.* XXI. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Vel enim uterque *Abiathar*, et *Achi-*

melech sacerdotio fungebatur, sicut legimus I. *Paralip.* XV. 11. *Sadoc*, et *Abiathar* sacerdotes fuisse, quamvis penes unum esset primatus: vel uterque utroque nomine vocabatur *Achimelech*, et *Abiathar*; unde dicitur I. *Reg.* XX. *Abiathar* filius *Achimelech*; et II. *Reg.* VIII. *Achimelech* filius *Abiathar*: vel denique *sub Abiathar* apud Marcum idem est, ac *tempore Abiathar* qui postea summum adeptus est Sacerdotium. Unaquaeque ex his sententiis non ignobiles patronos habet, et satis argumentum dissolvit.

Objic. CLXXIII. Ubique predicant Evangelistae, omnipotentem fuisse in patrandis miraculis Christi virtutem; imo et dedisse ipsum Apostolis etiam ante mortem, et resurrectionem suam, quaecumque miracula patrandi potestatem, inter quae expresse recensent virtutem ejiciendi daemonia ab obsessis. Atqui fatetur *Marcus*, nec Christum potuisse in patria sua patrare miracula *Marc.* VI. 5. *Non poterat*, inquit, *ibi virtutem ullam facere*; nec Apostolos energumenum curare potuisse *Marc.* IX. 17. *Dixi*, inquit energumeni illius pater, *discipulis tuis, ut ejicerent illum, et non potuerunt*. Ergo.

℟. *Dist. ant. quoad 1m. part.* Non potuit Christus miracula facere *moraliter*, *conc. Physice*, propter potestatis defectum, *neg.* Itaque ut recte observat Nazianzenus *Orat* IV. pluribus rationibus aliquid in Scripturis fieri non posse dicitur; hoc est non solum cum vires, ac potestatem nostram excedit; verum etiam cum nolumus, aut fieri non expedit, sicut dicitur *Genes.* XXXVII. 4. *Non poterant ei quidquam pacifice loqui*: et Joan. VII. 7. *Non potest mundus odisse vos*: et Matth. IX. 15. *Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum ipsis est sponsus?* Non poterat ergo Christus in patria multas virtutes, sive miracula facere, propter illorum hominum incredulum animum, cum semper fidem antequam miraculum aliquod operaretur, exigeret: ideoque non expediebat, ut apud incredulos, et indignos, miracula patraret. Et quamvis obstinationem illam gratiae caelestis illustratione, atque adjutorio flectere, et corrigere potuisset, quia tamen aeterno, justissimo, atque inscrutabili, et immutabili ipsius judicio, ac decreto praedestinati illi non erant; ideo eam gratiam nec

voluit Christus praebere, nec potuit. Ut tamen ostenderet, non id ex imbecillitate sua, sive ex defectu factum esse potestatis, aliquos ibi curavit infirmos, ut idem *Marcus* admonuit: *nisi paucos*, inquit, *infirmos, impositis manibus, curavit.*

Dist. etiam min. quoad 2m. part. Apostoli non potuerunt energumenum liberare propter potestatis defectum, *neg.* Propter aliquem fidei defectum, orationis, jejunii, quae ad genus illud daemoniorum, ut Christus explicavit, adhiberi oportebat, *conc.*

Objic. CLXXIV *Marc. IX.* 42. Admonet discipulos Christus; quid agere eos, ut ignem aeternum vitent, oporteat; ex quibus perspicuum est, non omnes igne illo damnandos esse; quod et magis ex Matthaei *Cap.* XXV. constat, ubi improbos quidem in aeternum ignem, justos autem in vitam aeternam ingressuros esse praedicitur. At in eodem *Marci Cap.* IX. 48. idem Christus postquam de aeterno illo igne disseruit, generatim subdit: *Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur*; quasi nullus omnino cum evasurus sit. Ergo.

℞. *Neg. cons.* Etsi enim hujus loci *Marc.* IX. 48. obscuritas, ut inquit *Maldonatus*, magnam interpretationum peperit varietatem; non talem, tamen, ut falsi aliquid, aut absurdi in sacris litteris, praecipue vero in ipsius Christi verbis possimus suspicari. Omnes quippe, quae apud viros doctos receptae sunt opiniones, in duas veluti classes partiri possumus; alteram eorum, qui ea verba *omnis igne salictur*, generatim omnes homines comprehendere putant; alteram eorum, qui illa ad eos tantum, de quibus paulo ante dixerat, scilicet ad damnatos coarctant. Et primi quidem ita rem explicant. Dixerat superius Christus: *Si scandalizaverit te manus tua abscinde illam . . . et si pes tuus te scandalizat amputa illum . . . Quod si oculus tuus scandalizat te ejice eum, bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Sed quia praecepta haec etiam sensu quam lenissimo intellecta, dura admodum videri poterant; ideo subdit Christus, omnes homines veluti victimas Deo oblatas saliendas esse non quidem sale, quo olim victimae aspergebantur, sed igne, hoc est vel in hac vita tribu-

lationibus, aerumnis, denique sui ipsius, suaeque voluntatis abnegatione, quae omnia propter animi cruciatum ignis dici possunt, vel in altera vita igne sive sempiterno, sive temporali, sicut et Paulus ait I. *Cor.* III. 13. *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit.* Quasi diceret Christus: dura haec vobis videntur; sed necessaria sunt; quia omnis homo igne aliquo saliendus est, quem si in hac brevi vita respuerit, patietur in altera longe acriorem; atque perpetuum. Hanc sententiam *Beda*, *Theophylactus*, *Strabus*, multique recentiores sequuntur. Alii vero docent, verba Christi de unis intelligenda esse damnatis. Cum enim dixisset Christus: *bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur*; quasi rationem reddens, cur ignis damnatos in aeternum non absumat; ait ignem illum esse veluti sal, quod victimas furoris Domini torqueat simul, et conservet in holocaustum sempiternum. Utramvis responsionem sequaris (cum utraque verisimillima sit) constat verborum Christi sententia, ac veritas.

Objic. CLXXV. *Marci* X. 46. Proficiscens Jesus de Jericho curavit caecum, qui secus viam clamabat. At contra *Luc.* XVIII. 35. id factum dicitur, *cum appropinquaret Jesus Jericho.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Vel enim caecus, qui curatus dicitur a Jesu Jericho appropinquante, alius est ab eo, quem sanavit Jericho proficiscens, ut putat *Calmet*, vel verba *Lucae*: *Cum appropinquaret Jericho*, significant. Cum esset prope Jericho, quod aeque dici potest de eo; qui in eam urbem veniebat; ac de eo, qui inde proficiscebatur.

Objic. CLXXVI. Narrat Marcus *Marc. XI.* 12. Christum esurientem maledixisse ficui, eo quod non invenisset, nisi folia, fructum autem nullum: *non enim*, inquit, *erat tempus ficorum.* Atqui immerito quaerebat fructus, eosque non inventos indignatus est, si tempus ficorum non erat. Ergo absurda videtur illa narratio.

℟. *Daniel Heinsius L. II. Exercit Sacr. Cap.* 6. aliique recentiores *negant majorem* ex textu Graeco, ubi legitur: ου γαρ ην καιρος συκων, quod vertunt: *ibi enim*

erat tempus ficorum, quia particula ε duo significat, *non*, et *ibi*. Sed, retenta vulgata lectione, *Neg. min.* Cum enim ficulnea primo vere longe ante tempus ficorum grossos emittat, consequens est, ut quae ante tempus ficorum nullos protulit grossos, cum foliis onusta sit, certissime nullum afferat fructum. Imo certius ante tempus ficorum cognoscitur, ficulneam nullum attulisse fructum, quam in ipso ficorum tempore. Fieri enim potest ut in tempore ficorum fructum aliquem jam maturescentem aliquis antea decerpserit. Cum igitur Christus ante tempus ficorum in ficulnea nihil nisi folia invenisset, fructum autem nullum, ne acerbum quidem; merito ei tamquam sterili maledixit; cum praesertim ea in re non tam arboris quam Sinagogae sterilitatem, ac rejectionem, ut Patres observant; significare voluerit.

Objic. CLXXVII. *Marc.* X. 2. ait Christus: *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.* Quod et apud Matthaeum *Cap. XIX.* et Lucam *Cap. XVIII.* legimus. Atqui haec sententia sive per camelum ipsum animal cum *Origene*, *Hieronymo*, *Chrysostomo*, aliisque intelligas, sive cum *Theophylacto* nauticum funem, qui etiam Graece κάμιλος dicitur, videtur horribilis, omnesque divites absolute a regno caelorum excludere, imo et sine causa in desperationem agere. Divitiae enim bona quaedam sunt divinitus data, quibus ad beatam vitam capessendam bene divites uti possunt, quemadmodum aliquos fecisse legimus in sacris litteris sanctissimos viros, atque praedivites, ut *Job*, *Abraham* etc. Ergo.

℟. *Neg. min.* Primo enim inquit *Maldonatus*, aliique, Christi verba hyperbolen continere apud Hebraeos consuetam ad rei difficultatem explicandam. Difficillimum enim est in naturae corruptae statu, animum non adhaerere divitiis, neque avaritiae servire. Sed si cum sequentibus haec Christi verba conjungas, quibus ait: *Apud homines impossibile est, sed non apud Deum; omnia enim possibilia sunt apud Deum*, etiam sine hyperbole Christi sententia verissima est. Significat enim; non posse divitem naturae viribus salvum fieri, sicut camelus per foramen acus transire non potest; posse autem ex divina gratia, qua adjuti Sancti illi, qui in sa-

cris litteris commemorantur, bene dvitiis usi sunt. Quod quidem et verum est, et neminem a regno caelorum excludit, aut in desperationem agit, sed utilem timorem incutit; ab avaritia removet, et ad poscendum Dei auxilium incitat.

Objic. CLXXVIII. Marc. XV. 25. *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt* eum; cum tamen Joannes XIX. 14. id contigisse scribat *hora quasi sexta*. Ergo.

℟. *Neg. cons.* idem enim est *hora tertia*, et *hora quasi sexta*, si rationem habeas consuetudinis Hebraeorum, qui integrum diem in duodecim semper partiebantur horas, easque iterum in quatuor partes dividebant, quarum unaquaeque tribus horis constabat. *Prima* igitur hora, seu prima diei pars extendebatur usque ad *tertiam*. Secunda pars, quae dicebatur *tertia*, quia a tertia hora jam completa incipiebat, ducebatur usque ad sextam; ideoque hora tertia desinente, erat hora *quasi sexta*. Vide Benedictum XIV. *De Festis J. C.* aliosque passim interpretes, *Estium, Maldonatum, Lamy* etc., *Hieronymus* in *Marci* Evangelio mendum irrepsisse putat, et pro hora sexta tertiam fuisse scriptam vitio librariorum. Sed nostra responsio probabilior est.

Objic. CLXXIX. Apud *Lucam* I. 32. Non videtur Angelus Mariae Virgini vera promisisse, cum ait: *Et dabit illi Dominus sedem David Patris ejus, et regnabit in domo Jacob.* Neque enim Christus unquam regnum *Davidis* accepit, non thronum ejus ascendit, non in domo Jacob, sive in duodecim tribus Israel regnavit. Imo apud *Joannem XVIII.* 36. interroganti Pilato aperte respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et apud *Lucam XII.* 14. *Quis me constituit judicem, aut divisorem inter vos?* Neque difficultatem evades, si regnum Christo ab Angelo promissum non terrenum, sed spiritale esse dixeris. Regnum enim Christi spiritale non in domo *Jacob*, quae Christum negavit, ac respuit, sed in universum hominum genus constituendum erat, juxta *Isaiae*, aliorumq. vaticinia Prophetarum. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Regnum enim *David*, quod in sacris Litteris *Messiae*, sive Christo promissum erat, non erat illud, quod *David* administraverat, angustis terrae Cha-

naan circumscriptum terminis, terrenum, temporale; sed illud, cujus Davidicum regnum figura fuit, in toto terrarum orbe, imo in caelo, terraque constitutum, spiritale, aeternum; adeo ut idem sit in sacris litteris apud Prophetas thronus *David*, ac thronus Messiae, cujus *David*, ejusque regnum figura fuit. Sic *Jerem. XXX.* 9. *Et non dominabuntur eis amplius alieni, sed servient Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis.* Ezech. *XXXIV* 23. *Et suscitabo super eos pastorem unum, qui pascat eos, servum meum David: ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum.* Similia alibi leguntur *Ezech. XXXVII.* 24. *Oseae III.* 5. *etc.* Ex ipsis autem Angeli verbis perspicuum erat, non terrenum sed spiritale regnum nasciturо ex Virgine filio promitti; ait enim, regnum ejus aeternum fore, hoc est non modo diuturnum, sed in sempiternum duraturum; *Regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis*; quae cum de terreno regno intelligi non possent, manifeste de spiritali regno Messiae intelligenda erant.

Hoc autem, quod dixit: *Regnabit in domo Jacob* non significabat, cum in sola Israëlis familia, sed in universo hominum genere regnaturum: primo quidem quia per domum *Jacob* ipsa generis humani universitas in Scripturis designari solet, sicut cum ait Christus *Matth. XIX.* 28. *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*, totum hominum genus intelligit, ut observat *Augustinus*. Secundo quia omnes gentes, in quibus Christus regnaturus erat, tamquam adjunctae domui *Jacob* in Scripturis habentur, ut apud *Isaiam XIV.* 1. *Prope est, ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israël . . . . adjungetur advena ad eos, et adhaerebit domui Jacob*, atque ideo qui in domo *Jacob* regnaturus erat, idem in omnibus etiam gentibus domui *Jacob* adjunctis regnum erat adepturus. Tertio quia non omnes, qui ex *Jacob* carnali generatione oriuntur, ii sunt Israëlitae, sed qui fidem *Abrahae*, et *Jacob* imitantur, ut ait Apostolus *Rom. IX.* 6. *Non enim omnes, qui ex Israël sunt, ii sunt Israëlitae . . . . Idest non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii*

sunt promissionis aestimantur in semine. Qui ergo ex Judaeis Christum negarunt, ac respuerunt, filii quidem erant *Jacob* secundum carnem, non secundum spiritum. Qui vero sive ex Judaeis, sive ex Gentilibus in Christum crediderunt, ii sunt secundum spiritum Israëlitae, sive *domus Jacob* secundum spiritum, in qua Christus in aeternum regnabit.

Objic. CLXXX. Auctor est Lucas *Cap. II.* ante natum Christum edictum esse a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis, sive omnes Romani Imperii provinciae. Atqui falsum hoc videtur, cum *Svetonius*, *Tacitus*, aliique Romani Scriptores nullam faciant rei tam memorabilis mentionem. Addit vero Lucas hanc descriptionem factam esse a *Praeside Syriae Cirino*, quem constat Syriam provinciam suscepisse decennio post Herodis mortem, quo regnante natus est Christus. Ergo.

℟. *Neg. min.* Silentium enim *Svetonii*, et *Taciti* argumentum est *negativum*, quod nihil valet contra *positivam* historiam Lucae, qui in facto tam publico, tamque memorabili nec falli, nec mentiri poterat. Adde, idipsum testari Josephum *Lib. XVIII. Antiq. Cap. I.* qui occasione ejus descriptionis magnos exortos fuisse refert in Judaea tumultus; ita ut eam negare, vel revocare in dubium valde sit absurdum. Historia autem *Dionis*, qui fusius de Augusto scripserat, ab anno V. C. 748. usque ad annum 758. temporis injuria periit: intra quod decennium descriptio illa fieri debuit, quae adeo certa est, ut *Justinus*, et *Tertullianus* Gentiles, et haereticos provocent ad Acta publica, quae adhuc extabant, illamque descriptionem testabantur. Accedit et testimonium *Juliani* apostatae apud *Cyrillum* Alex. *Lib. VI.* Quod vero *Cirinus*, sive *Quirinus* decennio post Herodis mortem Syriam provinciam obtinuerit, non efficit, ut antequam Proconsul in Syriam veniret, non potuerit extraordinarium illud munus accipere descriptionis, ac census, in quo fortasse ab aliis etiam adjutum eum esse oportuit, cum scribat Tertullianus, censum in Judaea tunc actum esse *per Sentium Saturninum*. Vide Benedictum XIV. in erudito opere de Festis *J.* Christi, et Mariae.

Objic. CLXXXI. *Luc. II.* 34. Ait Simeon: *Ecce po-*

situs est hic (Jesus) *in ruinam*, *et in resurrectionem multorum in Israël.* Atqui audire horrent piae aures, Jesum Christum positum esse in ruinam hominum. Ergo.

℞. *Dist. min.* Si eo consilio advenisset, ut homines in ruinam impelleret, *conc.* Si veniente eo ad omnes homines liberandos, multi sua culpa, pertinacia, obstinatione Christum negantes, ac respuentes, in interitum ruituri essent, *neg.* Hoc igitur sibi voluit *Simeon*, ita Christum ad multorum resurrectionem positum fuisse, ut tamen multi ea occasione pejores facti in interitum sua culpa laberentur. Quod et apud Isaiam *VIII.* 13. de Christo praedictum fuerat: *Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester, et ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis, et in petram scandali duabus domibus Israël, et in ruinam habitantibus Jerusalem: et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur.* Vide *Estium*, *Maldonatum*, *Calmet* etc.

Objic. CLXXXII. Negotium facessit quod ait *Lucas III.* 2. *Sub principibus Sacerdotum Anna*, *et Caipha.* Constat enim tum ex Mosaica lege, tum ex tota apud *Josephum* Hebraeum Judaeorum historia, nonnisi unum semper fuisse summum Pontificem; imo nec poterat esse summus, nisi unus, cum in quocumque genere si quis alium parem habeat, summus esse, aut dici nullo modo possit. Ergo.

℞. *Neg. ant.* Advertendum est, postquam Romani rerum Judaicarum potiti sunt, omnia eorum arbitratu, libidine, avaritia gesta esse, ita ut Pontifices pro lubito crearent, et exauctorarent, ut ex ipsius *Josephi* historia discimus. Tandem eo ventum est, ut duo Pontifices, *Annas*, ejusque gener *Caiphas* essent: ne tamen omnia ea ratione perturbarentur, constitutum est, ut quamvis ambo Pontifices, et dicerentur, et essent, non tamen simul, sed alternis annis Pontificatum administrarent; unde dicitur de *Caipha* apud *Joannem XI.* 49. *et XVIII.* 14. *Cum esset Pontifex anni illius*, quod satis ostendit, alternis annis *Caipham*, et *Annam* Pontificatus administrationem, et curam gessisse.

Objic. CLXXXIII. Ait Lucas *Cap. III.* 36. *Arphaxad* genuisse *Cainan*; *Cainan* vero genuisse *Sale.* At-

qui constat ex *Genesi XI. 12. Arphaxad* genuisse *Sale*. Falso igitur Lucas interseruit *Cainan*.

℟. *Neg. cons.* Nomen enim *Cainan* in omnibus codicibus versionis LXX. constantissime legitur, sicut in *Lucae* Evangelio positum est. Quamquam ergo nonnulli putant, illud in eam versionem, atque in Lucae Evangelium mendose irrepsisse vitio librariorum, ut Usserius *in Dissert. De Cainan*, *Spanhemius in Dub. Evang. Grotius*, *Bochartus*, *Corn. a lapide*, aliique multi opinantur; a qua sententia non abhorret *Calmetus*; tamen verisimiliter etiam defendi potest, vel septuaginta interpretes, quos secutus est *Lucas*, meliores habuisse Hebraicos Codices, vel generationem *Cainan* ex veteribus historiis, aut traditione, aut Spiritus S. afflatu supplevisse; nec propterea falsum esse locum *Genesis*, cum etiam dici possit, *Arphaxad* genuisse *Sale*, etsi media intersit generatio *Cainan*.

Objic. CLXXXIV. *Lucas VI*: 17. ait, Jesum descendisse de monte ubi totam noctem oraverat, et stetisse in loco campestri, concionemque illam habuisse, quam *Matthaeus Cap. V.* habitam a Christo scribit in monte. *Videns autem*, inquit, *Jesus turbas ascendit in montem*, *et cum sedisset*, *accesserunt ad eum discipuli ejus*; *et aperiens os suum docebat eos dicens* etc. Adhaec quatuor tantum *Lucas* beatitudines a Christo insinuatas docet, cum *Matthaeus* octo recenseat; multisque partibus Christi sermo apud *Lucam* brevior illo est, quem apud *Matthaeum* legimus. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Primo enim non est omnino exploratum, utrum ea concio, quam *Lucas* a Christo factam scribit postquam descendisset de monte, illa ipsa sit, quam *Matthaeus* ait in monte habitam, an alia, qua Christus alia occasione illa ipsa, quae in monte docuerat, breviori compendio exposuit. Augustinus enim *Lib. II. De cons. Evang.* Gregorius M. *Homil. IX. in Ezech.* aliique putant esse diversam. Quae si vera esset opinio, satis ipsa per se difficultas evanesceret. Sed quia *Hieronymus*, *Chrysostomus*, et ante eos *Origenes*, aliique Patres eundem esse Christi sermonem opinantur apud *Matthaeum Cap. V.*, et *Lucam Cap. VI.* alia via ac ratione explicandum est, quomodo alter Christum in

montem ascendisse affirmet, alter descendisse, ac stetisse in loco campestri, antequam sermonem illum instituerèt. Praetermissis autem aliis minus verisimilibus interpretamentis, sunt praecipuae apud viros doctos receptae opiniones duae. Prima enim *Matthaeum* ex *Luca* explicat, supplendo scilicet ex *Luca* quae a *Matthaeo* praetermittuntur; altera e contrario *Lucam* explicat ex *Matthaeo*. Primae igitur opinionis auctores ita rem componendam putant: Christum in montem ascendisse, uterque Evengelista refert. Sed *Lucas* addit eum ascendisse, ut oraret, cumque totam noctem in oratione transegisset, elegisse Apostolos duodecim, indeq. descendisse, atque in loco campestri concionem habuisse. Has circumstantias orationis, electionis Apostolorum, ac descensus de monte in campestrem locum, Matthaeus omittit, ac simpliciter ait, Christum ascendisse in montem, ac deinde sermonem habuisse. Contra vero qui sequuntur interpretationem alteram, ajunt, Christum, ut *Lucas* refert, ascendisse in montem, ut oraret, indeque post electos Apostolos descendisse ad turbas, atque infirmos curasse. *Stetit*, inquit, *in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judaea, et Jerusalem, et maritima, et Tyri, et Sidonis, qui venerant, ut audirent eum, et sanarentur a lanquoribus suis, et qui vexabantur a spiritibus immundis curabantur, et omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Deinde, vel ipsa die, vel alia occasione ascendisse iterum in montem atque ad discipulos concionem habuisse: solent enim Evangelistae non loca, et tempora, sed res ipsas conjungere, quas simul referunt, quamvis diversis temporibus actae sunt. Haec altera sententia verisimilior est. Nam si Christus postquam de monte descendisset, in loco campestri sermocinatus esset; ad omnes turbas sermo ille fuisset institutus, cum contra uterque Evangelista doceat, sermonem solos spectasse discipulos, quibus sublimiora tradidit perfectionis praecepta; ideoque verisimilius sit, seorsim a turbis in monte habitum fuisse. Levius autem est quod objiciebatur, *Matthaeum* octo, *Lucam* quatuor tantum beatitudines recensere. Non enim iis propositum fuerat omnia omnino comme-

morare, sed omnium summam referre; ideoque nonnulla habet *Matthaeus* in hoc sermone, quae *Lucas* omittit, nonnulla etiam *Lucas* refert, quae a *Matthaeo* praetermittuntur. Addendum est etiam ex *Ambrosio*, *Lucam* quatuor veluti virtutes amplexum esse cardinales; ideoque in quatuor istis, illas octo contineri.

Objic. CLXXXV. *Luc*, *XIII.* 32. Cum Pharisaei quidam Christo dixissent: *Exi, et vade hinc, quia Herodes vult te occidere*, respondit Christus: *Ite, et dicite vulpi illi: Ecce ejicio demonia, et sanitates perficio hodie, et cras, et tertia die consummor*; cum tamen haec non tertia ante mortem suam die, sed longe ante passionem suam, a Christo dicta esse, omnes fateantur interpretes. Non ergo constare videtur praedictionis veritas.

℟. *Neg. cons.* Nam *hodie*, *et cras*, *et tertia die* non naturales significat dies secundum Scripturarum consuetudinem, sed indefinitum tempus, quod si praesens est dicitur *hodie*; si proxime futurum, *cras*; si aliquanto remotius, *tertia die.* Sic *Osee VI.* 3: *Vivificabit nos post duos dies*; *in die tertia suscitabit nos.* Ut ergo Christus Pharisaeorum fraudem retegeret, qui eum inde metu Herodis abigere moliebantur, simulque iis quodammodo crucem figeret, respondit, non posse eos, neque Herodem sibi esse impedimento, quominus, quandiu vellet, saluti hominum procurandae vacaret, nec posse sibi necem, nisi quando ipse decreverat, inferre; ideoque satius esse, ut a vano illo objiciendo terriculamento cessarent.

Objic. CLXXXVI. *Luc.* XVI. 8. Laudatur villicus, eo quod a domino ad rationes reddendas compulsus, fraudem fecerit, immutando syngraphas debitorum: *Laudavit Dominus villicum iniquitatis*, *quia prudenter fecisset.* Atqui hoc est furtum laudare, tamquam prudentiae officium, quod juri naturali contrarium est. Ergo:

℟. *Dist. maj.* Laudatur villicus a Christo, *neg.* Laudatur a Domino suo, *subdist.* Propter furtum, ac fraudem, *neg.* Propter industriam, ac sollertiam, qua sibi consuluit in re difficili, comparans sibi amicos ex domini bonis, *conc.* Est igitur parabola, qua Christus exemplo illius villici ad eleemosynas largiendas hortatur,

et incitat. Si enim Dominus ille quamvis a villico inique fraudatus, propter quod et *villicus iniquitatis* dicitur, laudavit tamen ejus industriam, qua sibi amicos ex domini pecunia comparare studuit; quanto magis Pater caelestis laudabit prudentiam nostram, si de bonis, quorum veluti administrationem nobis commisit, amicos nobis pauperes comparare studeamus.

Objic. CLXXXVII. *Luc. XVII.* 20. *Interrogatus a Pharisaeis* (Christus) *quando venit regnum Dei? respondens eis dicit: Non venit reghum Dei cum observatione, neque dicent: ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Atqui haec non videntur cohaerere cum caeteris. Si enim per regnum Dei primum Christi adventum intelligas, et Ecclesiae institutionem; falsum videtur, regnum illud cum observatione non venisse, hoc est talibus signis, ut animadverti ab omnibus et cognosci posset. Quippe venturi Messiae signa Prophetae praedixerant; quae omnia Jesu Christo convenire *Lib. VI.* demonstravimus. Imo ipse Christus a Joannis Baptistae discipulis nomine magistri sui interrogatus an ipse Messias esset *Matth. XI.* 4: *Euntes*, inquit, *renuntiate Joanni quae audistis, et vidistis: caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*: hoc est, haec signa sufficiunt, ut me eum esse ostendant quem venturum esse Prophetae praedixerunt; Sic enim ait Isaias *XXXV:* 4. *Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus, claudus, et aperta erit lingua mutorum.* Et Pharisaeos alibi coarguit, quod signa caeli, ac tempestatum dijudicare nossent, signa vero adventus Christi non discernerent; *Matth. XVI.* 4. *Luc. XII.* 54. Si vero per regnum Dei alterum Christi adventum in resurrectione mortuorum, atque judicio intelligas, quonam pacto regnum illud *cum observatione* non veniet, cum tot ejus signa Christus in Evangelio indicaverit, et in hoc ipso *Cap. XVII.* 24. *Lucae* expresse dixerit: *Sicut fulgur coruscans de sub coelo in ea, quae sub coelo sunt fulget; ita erit Filius hominis in die sua?* Ergo.

℟. *Neg. min.* Regnum quidem Dei, et regnum coelorum multiplici sensu in Scripturis est positum, ut fuse

Calmet in Matth. III. 2. *Maldonatus*, aliique Interpretes edisserunt. In hoc autem loco *Luc. XVII.* 20. manifesto de priori Christi adventu, atque Ecclesiae institutione intelligendum esse, verba illa declarant: *Ecce regnum Dei intra vos est.* Sed advertendum est, Pharisaeos, aliosque Judaeos, falso intelligentes vaticinia Prophetarum, Messiam ab iis promissum expectasse, ut potentissimum imperatorem, qui non solum regnum Israel ad eam restitueret gloriam, potentiam, splendorem, quem tempore *Davidis* habuerat, verum etiam in gentes omnes bello subactas proferret imperium; quod sine magno rerum apparatu, ac pompa, quae omnium perstringeret oculos, fieri non poterat. Hoc igitur ipsi intelligebant regnum, cum vel serio sciscitantes, vel, quod est verisimilius, irridentes, Christum interrogarunt: *Quando venit regnum Dei.* Contra vero falsam illam eorum persuasionem corrigens Christus, de adventu suo, regnoque spiritali, de quo intelligenda erant oracula Prophetarum, respondet, regnum Dei, *non venire cum observatione*, hoc est magno illo apparatu, quem Pharisaei expectabant; jam enim regnum illud fundari coeptum esse inter Judaeos ipsos, quorum multi jam in Christum credentes in regno Dei, hoc est Ecclesia Christi erant. Non negat autem signa illa, ex quibus Messiam agnoscendum esse Prophetae praedixerant. Porro hac arrepta occasione Christus de postremo adventu suo mentionem fecit, ut humilitati, in qua prius venit, posteriorem gloriam, atque exaltationem opponeret, aitque majorem fore illius adventus splendorem, apparatum, pompam, quam Pharisaei putarent; venturum se scilicet in nubibus caeli cum potestate tanta, ac majestate, ut neminem omnino latere posset, non secus ac fulgur, quod ab oriente ad occasum usque omnium oculos perstringit.

Objic. CLXXXVIII. Christus *Luc. XVIII.* 22. homini interroganti, quid faciendo vitam aeternam possideret, postquam primum servanda esse mandata respondit; adhuc illi affirmanti, se mandata servasse, subjungit: *Adhuc unum tibi deest. Omnia quaecumque habes vende, et da pauperibus.* Quod et Matthaeus *Cap: XIX.* his verbis expressit: *Si vis perfectus esse, vade, vende*

omnia, *quae habes*, *et da pauperibus*. Atqui hoc ostendit, Evangelium, et Christianam religionem non esse omnibns aptam hominibus, imo reipublicae, et ipsis pauperibus noxiam. Finge enim, omnes sua velle vendere, et dare pauperibus: primum quidem nullus esset emptor; deinde egestas esset in civitate non mediocris, denique ipsi pauperes, postquam prima vice exsaturati essent, nullum amplius haberent, qui ipsis opem ferret. Hoc et de virginitate, atque aliis Evangelicis consiliis licet dicere. Ergo.

℟. *Neg. min.* Quamvis enim religio Christiana omnibus apta sit hominibus, non omnes tamen ad eam vocati sunt perfectionis viam, de qua Christus ibi loquitur. *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic*, ut ait Apostolus *I. Cor. VII.* 7.

Objic. CLXXXIX. Luc. *XXIII.* 34. Christus Patrem pro persecutoribus suis deprecans ait: *Pater dimitte illis*; *non enim sciunt*, *quid faciunt*. Atqui Christus ipse *Joan. XV.* 22. de iis loquens ait: *Si non venissem, et locutus fuissem eis*, *peccatum non haberent*, *nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, ideoque ignorantiam praetexere, aut caussari nullo modo poterant. Absurdum autem est dicere, cum pro iis solum orasse, si qui erant, qui eum ex ignorantia crucifigebant; cum voluerit potius ipse tunc exemplo suo confirmare, quod discipulos docuerat *Matth. V.* 44. *Orate pro persequentibus*, *et calumniantibus vos*, quod de iis etiam intelligitur, qui nos ex malitia persequuntur, ex odio, ex invidia. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Quod enim ait Christus: *non enim sciunt quid faciunt*, non significat, fuisse illos omnino ignorantes, ideoque a peccato immunes; sed cum *omnis peccans* aliquo pacto *ignorans* sit, ut commune habet effatum, quia saltem peccati sui gravitatem non considerat, ut deberet, et posset, Christus in cruce sacrificium pro peccatis omnibus offerens, peccatores, quantum potest, apud Patrem excusat. Quo sensu ait etiam Petrus *Act. III.* 17. *Et nunc, fratres*, *scio*, *quia per ignorantiam fecistis*, *sicut et Principes vestri*: et Paulus *Act. XIII.* 27. *Qui habitabant Jerusalem*, *et prin-*

cipes ejus hunc ignorantes, et voces Prophetarum, quae per omne Sabatum leguntur, judicantes impleverunt; et I. Cor. II. 8. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent.*

Objic. CXC. *Joan. I.* 28. Scribit Evangelista, Bethaniam trans Jordanem fuisse. *Haec*, inquit, *in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.* At idem *Cap. XI.* 18. Bethaniam citra Jordanem ponit, cum ait, illam esse juxta Jerosolymam. *Erat autem*, inquit, *Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et Bethania, quae juxta Jerusalem erat, non eadem illa est, quam trans Jordanem fuisse Evangelista scribit, *conc.* Secus, *neg.* Advertendum itaque est, in priori *Joannis* loco juxta Graeca exemplaria nonnulla, non *Bethania* legi, sed *Bethabara*, quam lectionem *Origenes*, *Chrysostomus*, *Epiphanius*, *Theophylactus*, *Euthymius* secuti sunt. Cujus etiam urbis *Judic. VII.* 24. mentio occurrit, ubi vocatur *Bethabara*, sive domus transitus, quia scilicet ea trajectus Jordanis erat; ideoque potissimum ille locus ad baptizandum, ac praedicandum a *Joanne* electus erat, quod magna eo hominum multitudo Jordanem transeuntium ultro, citroque conveniebat. Si igitur in illo *Joannis* loco *Cap. I.* 28. non Bethania, sed *Bethabara* legatur, nihil adhuc reliquum erit difficultatis, ac quaestionis. Sed quia vulgatae versioni, quae *Bethaniam* habet, non *Bethabaram*, consentiunt Graeca exemplaria non pauca, et Syriaca omnia, ac Latina; etiam hac retenta lectione, non efficitur, falsi aliquid Evangelistam scripsisse, aut sibimetipsum esse contrarium. Potuerunt enim duae diversis in regionibus esse urbes eodem nomine, sicut duae *Betlehem*; ideoque fortassis a *Joanne I.* 28. *Bethaniae* regio adnotata est *trans Jordanem*, ut scilicet a *Bethania* altera, quae prope ab Jerusalem aberat, distingueretur. Idque ex *Josephi* Historia *Lib. XVII. Antiq.* non improbabili conjectura potest intelligi; qui regionis cujusdam ultra Jordanem, quam *Bataneam* vocat, mentionem facit. Vide *Maldonatum in hunc loc. Estium, Calmet, Menochium, Marianam etc.*

Objic. CXCI. In eodem *Joannis Cap. I.* 31. *et* 33.

cum Joannes Baptista Jesum ad se venientem vidisset ait: *Ecce agnus Dei etc. . . . et ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Verum antequam Spiritus S. super Christum a Joanne baptizatum in columbae specie descenderet, jam ab eo fuisse cognitum, perspicuum est non solum ex eo, quod adhuc in utero matris existens, veniente ad Elisabeth Maria, Joannes exultavit, verum etiam quia cum primum Christus ad Joannem accessit, ut ab eo baptizaretur, *prohibebat eum Joannes dicens: ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Matth.* III. 14. Ergo non secum concors videtur Evangelica narratio.

℟. *Neg. cons.* Primo enim nota est *Augustini* responsio, *Joannem* scilicet etiam ante baptismum cognovisse Christum; sed illud antea ignorasse, ac per columbam demum didicisse, quod ipse esset, qui interius in Spiritu Sancto baptizaret, quocumque exterius baptismum ministrante. Sed quia haec responsio *Maldonato* displicuit; propterea quod etiam antequam Christus ad baptismum veniret, dixerat Joannes: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni*; quamvis eam defendere non esset difficile; possumus tamen propositum argumentum alia responsione dissolvere, quae a *Chrysostomo* tradita est *Homil. XVI. in Joan.* Baptistam scilicet Christum, ejusque baptismum, aliaque mysteria jam ante per Dei revelationem cognovisse; sed numquam antea eum cognovisse de facie, cum Joannes in deserto vixerit, Christus, postquam ab Ægypto rediit, in Galilaea; idque sibi voluisse Baptistam, cum ait: *et ego nesciebam eum*, ne tam praeclarum de Christo testimonium non ex divino oraculo edidisse, sed familiaritati, amicitiae, denique cognationi tribuisse videretur. Ait ergo: *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi: post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat*; nec putetis me ista ex familiaritate, aut amicitia dicere; non enim unquam eum antea de facie noveram, verum id mihi Deus ipse, qui me baptizare jussit, revelavit. Utque ea revelatio evidenti signo confirmaretur, ac ceteris etiam publice innotesceret, ostendit Deus manifestam Spiritus S. prae-

sentiam, vocemque de coelo. Igitur simul ac Joannes Jesum vidit, Deo interius inspirante, agnovit, eum esse quem post se venturum praedixerat, atque in Spiritu Sancto baptizaturum; ideoque eum baptizare ex humilitate recusabat. Sed quia signum etiam se datutum esse promiserat Deus; ideo ait. *Qui misit me baptizare ille mihi dixit: super quem videris Spiritum S. descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est filius Dei*; ut meum scilicet testimonium publico etiam miraculo confirmaretur.

Objic. CXCII. *I. Joan.* 51. Ait Christus *Nathanaëli*, ceterisque discipulis: *Amen, amen dico vobis, videbitis caelum apertum, et angelos Dei ascendentes, et descendentes supra filium hominis.* Atqui hoc numquam contigisse Evangelica narrat historia, quod certe, ut videtur, non praetermisisset, ut veram Christi praedictionem fuisse confirmaret. Ergo.

℟. *Trans. min. neg. cons. Transeat*, inquam, *minor*; tum quia non omnia in Evangelio scripta esse, idem nos admonet Joannes. *XX.* 30. *et XXI.* 25.; tum quia, ut advertit *Calmet*, ad litteram hoc adimpletum est in Salvatoris agonia *Luc. XXII.* 43.; resurrectione *Matth. XXVIII.* 2. ascensione *Act. I.* 10. nihil enim aliud ascendere, et descendere supra filium hominis significat, nisi ei ministrare; tum denique, quia hanc Christi praedictionem mystico etiam sensu intelligi posse *Augustinus*, aliique docent. Sed etsi demus, numquam id in vita Jesu mortali contigisse, non sequitur, id non esse in altero ejus adventu futurum, cum veniet in potestate magna, ac majestate, cum omnibus angelis suis, de quo adventu hanc Christi praedictionem intelligi oportere *Maldonatus*, *Toynardus*, aliique verisimilius affirmant.

Objic. CXCIII. *Joan.* II. 20. Cum Christus Judaeis dixisset: *solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*; quod illi de Jerosolymitano templo dictum putarunt; *Dixerunt Judaei: quadraginta, et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?* Atqui hoc historicae veritati non videtur consentaneum. Nam prius templum a *Salomone* absolutum est annis septem, ut ex *Regum* historia constat.

Secundum a *Zorobabele* annis fere totidem aedificatum esse; ex libris *Esdrae* colligimus. Restaurationem vero templi ab *Herode* annis novem fuisse perfectam, Josephus *Lib. XV. Antiq. Cap.* 14. testatur. Ergo.

℟. *Trans. min. Neg. cons.* Dixi *transeat minor* quia non ibi Evangelista scribit, quot annis revera templum illud extructum fuerit, sed quid Judaei dixerint ad exaggerandam rei difficultatem; ideoque etsi id falsum esset; non nutaret Evangelica veritas. Ceterum negari potest id, quod Judaei dixerunt, non esse historicae veritati consonum. Missis enim aliorum opinionibus, cum magna inter viros doctos hac de re controversia fuerit, verisimillimum est, Judaeos non de priori templo per Salomonem aedificato, sed de templo illo, quod tunc extabat, locutos esse, quodque a *Zorobabele* post reditum ex Babylonica captivitate excitatum, ab Herode instauratum, atque ampliatum fuerat. Licet autem templum illud, sexto Darii anno absolutum esse ex *Lib. I. Esdrae Cap. VI.* constet, advertendum tamen est, jamdiu sub *Cyro* jacta fuisse fundamenta templi, murosque aedificari incepisse; sed vicinis hostibus impedientibus, ac prohibentibus, ab opere cessatum esse, quod per annos fere triginta novem interruptum est. Deinde novo molimine sub *Dario* iterum aedificari coeptum sexto Darii anno absolutum esse. Quapropter cum externa etiam hostium impedimenta numeranda sint inter difficultates rei perficiendae, recte tunc vulgo a Judaeis dicebatur, quadraginta sex annis aedificatum esse templum, ex quo primum ejus fundamenta sub *Cyro* jacta sunt. Vide *Maldonatum*, qui fuse hac de re disputat *Comment. in Cap. 2. Joan.*

Objic. CXCIV. in Evangelio Joannis *Cap V. et VIII.* duo sunt, quae adversa fronte pugnare videntur, Christi sententiae. Ait enim *Cap. V.* 31. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* At *Cap.* VIII. inquit: *Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* Uterque enim locus mire consentit. Ait enim Christus *Cap.* V. non esse verum, idest fidem non mereri, ac rejici posse suum de seipso testimonium,

si ipse solus de seipso testimonium perhiberet. Sed ideo testimonium suum de seipso rejici non posse, quia solus ipse testis non erat. *Alius est, qui testimonium perhibet de me*, scilicet Pater: *Opera enim, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio; testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Duorum ergo testimonium omni exceptione majorum rejici non potest. Porro in eandem sententiam loquitur *Cap.* VIII. Ideo enim inquit: *Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum,* quia ut paucis interjectis subdit, *solus non sum, sed ego, et qui misit me Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.*

Objic. CXCV. Ait *Joannes V.* 34. ita Christum Judaeis dixisse: *Ego autem ab homine testimonium non accipio*, et tamen ibidem Joannis Baptistae testimonium laudavit: *Vos*, inquit, *misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati.* Ergo.

℟. Neg. cons. Quod enim ait Christus: *Ego ab homine testimonium non accipio*, nihil aliud sibi voluit ut Chrysostomus, aliique Patres observant, nisi testimonio hominum nullo pacto se indigere, neque illud quaerere, aut aucupari (sicut eodem in loco ait: *quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis*) utpote qui per miracula, quae patrabat, testimonium Patris habebat; unde ait: *Ego autem habeo testimonium majus Joanne; opera enim, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me; quia Pater misit me, et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.* Sed quia Judaei testimonium Joannis Baptistae plurimi faciebant, imo ipsum Baptistam Christum esse suspicabantur; ideo ut eos revinceret, testimonio Joannis est usus. Quod quidem testimonium non simpliciter humanum, sed divinum erat, sicut idem Joannes ait: *Ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum Sanctum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto. Joan. I. 32., et seq.* Eo tamen testimonio, quamvis divino, sed per hominem perhibito, non indigebat Christus, cum longe majus testimonium Patris

haberet. *Vos misistis*: inquit, *ad Joannem, et ille testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio; sed haec dico, ut salvi sitis.*

Objic. CXCVI. *Joan. VI.* 2. ait Evangelista: *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat super his, qui infirmabantur.* In eodem tamen capite sic Christum dixisse ait ad turbas: *Quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.* Contraria autem ista videntur. Ergo.

℟. *Neg. min*: Qui enim aliquid agit propter aliud, non illud velle dicitur quod agit, sed illud propter quod agit, cum finis sit, qui maxime diligitur; sicut aegrotus medicinam sumit, non quia medicinam amat, sed quia sanitatem sperat. Cum ergo Judaei ex Christi signis non fidem, non pietatem, non charitatem erga Christum, sed suam utilitatem quaererent, recte ait Evangelista, eos Christum secutos esse, quia videbant signa, quae super infirmis faciebat, non tamen propter signa ipsa, aut propter eum finem, ob quem illa a Christo facta erant, sed quia utilitatem inde suam expectabant. *Propter carnem quaerebant* Christum, *non propter spiritum*, ut inquit *Augustinus.*

Objic. CXCVII. *Joan. VII.* 8. ait Christus: *Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendo ad diem festum istum.* Deinde vero *v.* 10. subdit Joannes: *Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit, non manifeste, sed quasi in occulto.* Falsis ergo locutionibus videtur usus; ita *Porphyrius* apud Hieronymum *Lib. II. cont. Pelag.*

℟. *Neg. cons.* Et nonnulli quidem interpretes nodum solvunt ex verbis Graeci textus, ut est hodie in pluribus exemplaribus impressus, quorum quidem alia habent: Εγω εκ αναβαινω νυν, alia ουκ αναβαινω αρτι, idest: *Ego autem nondum ascendo ad diem festum istum*; quod quidem non efficiebat, ut postea non ascenderet. Sed quia ut recte observat *Calmetus*, non est credibile, ita olim se habuisse genuinam Graeci textus lectionem; tum quia alioquin ista *Porphyrius* Christianis objicere non esset ausus; tum quia plures manuscripti codices Graeci vetustissimi, omnesq. Latini, Syriaca, et Persica

versio vulgatae consentiunt, atque ita etiam hunc locum legerunt *Augustinus*, *Cyrillus Alex.* aliiq. Patres; ideoque verisimilius est, locum fuisse a Librariis, aliquanto immutatum ad difficultatem expediendam, ideo hanc omittimus responsionem.

Quapropter ipsa sermonis series attendenda est, ut verborum Christi sensus intelligatur. *Ait Joannes*, Christi fratres, qui nondum credebant, eum fuisse cohortatos, ut publice Jerosolymam ad festum ascenderet, quod octo diebus magno populi concursu celebrabatur; ascenderet autem ipso primo die festi, qui ceteris sollemnior erat, ibique publice miracula patraret, et seipsum faceret celebrem *Jo. VII.* 2. *Erat autem*, inquit, *in proximo dies festus Judaeorum, Scenopegia. Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, et vade in Judaeam, ut et discipuli tui videant opera tua, quae facis. Nemo quippe in occulto quid facit, et quaerit ipse in palam esse; si haec facis manifesta teipsum mundo.* Hoc igitur inanis gloriae consilium rejiciens Jesus ait: *Tempus meum nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum. . . . . Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.* Non ascendit ergo ad diem festum ea mente, atque consilio, quo fratres eum incitabant, ut ipso primo die ascenderet, qui ceteris celebrior erat, atque ita gloriam miraculis adipisceretur. Quod non obstabat, quominus primis festi diebus elapsis, ut legi satisfaceret; et populum edoceret, sine strepitu veniret Jerosolymam. Vide *Chrysostomum*, *Augustinum*, *Maldonatum*, *Ligfootum etc.* in hunc Joannis locum.

Objic. CXCVIII. *Joann. VIII* 50. ait Christus: *Ego gloriam meam non quaero, est qui quaerat, et judicet* Qua quidem in sententia quaestiones duae sunt. Primo cur gloriam suam non quaereret, qui dixit *Joan. X.* 3. *Ego, et Pater unum sumus*, ideoque si suam non querebat, nec Patris gloriam quaerere videbatur? secundo cur dixerit: *Est qui quaerat, et judicet*; cum *Joan. V.* 22. dixerit *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*? Ergo.

℟. *Neg. cons.* Quaestiones enim illae duae facile sol-

vuntur. Prima quidem; tum quia non quaerebat Christus inanem gloriam; tum quia gloriam Patris, quam unice in omnibus dictis, factisque suis propositam habebat, non ad se, sed ad Patrem, a quo procedit, referebat; sicut et alibi ait: *mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*; et alibi: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me*. Quamvis ergo Patris gloria, sua etiam esset propter naturae unitatem; ad Patrem tamen illam, sicut et cetera omnia, tamquam ad principium, a quo procedit, referebat. Altera vero quaestio facilius explicatur. Licet enim Pater omne judicium Filio dederit in secundo ejus adventu exercendum; tamen in priori adventu non ut judicaret mundum Filius advenerat, sed ut inique ab impiis judicatus, atque damnatus omnibus salutem afferret, unde ait *Joan* III. 17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*. Cujus tamen injuriae vindex futurus erat Pater, qui et debitam Christo gloriam post passionem daturus erat, et inimicos ejus judicaturus, ut *Chrysostomus*, *Theophylactus*, aliique disserunt.

Objic. CXCIX. *Joan. X*. 8. Ait Christus, se esse ostium ovium. Deinde addit: *Omnes quotquot venerunt, fures sunt, et latrones, et non audierunt eos oves*. Fures igitur, et latrones declarare videtur omnes prophetas, et pastores veteris Testamenti.

℟. *Neg. cons*. Cum enim dixisset Christus, eum, qui non intrat per ostium, furem esse, ac latronem, se vero esse ostium; manifestum est, eos, quos latrones esse dicit, nonnisi illos esse, qui non per ostium, hoc est per Christum in ovile intraverant, sed suo nomine prophetaverant, de quibus apud *Jeremiam* conqueritur Deus *Jerem. XXIII*. 21. *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant, non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant*; vel qui se esse Messiam a prophetis praedictum falso jactaverant, quales fuerunt paulo ante Christum *Theodas, et Judas Galilaeus Actor. V*. Prophetae autem, aliique veteris Testamenti pastores, non ipsi per se venerant, ut advertit *Augustinus*, sed a Deo, hoc est a Christo ipso missi per ostium intraverant.

Objic. CC. *Joann. XIII*. 34. Ait Christus: *Manda-*

tum novum dedi vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Atqui idem Christus *Matth. XXII.* 35. a Legisperito interrogatus, quodnam esset mandatum magnum in lege, respondet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc . . . . . . secundum autem simile est huic diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetae.* Et certe ab ipsa naturae lege dilectio proximi praecepta est; ideoque non novum, sed aeternum est mandatum, atque ab ipso mundi exordio hominibus cum ipsa ratione inditum. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Vetus enim proximi diligendi mandatum multis rationibus a Christo novum dici potuit; 1.° quia a falsis Pharisaeorum interpretationibus, ac traditionibus veluti obnubilatum, novum videri poterat. *Matth. V.* 43. *Audistis, quia dictum est antiquis: diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos.* 2.° quia ut observat *Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus,* aliique Patres, verba illa *sicut dilexi vos,* novum continent diligendi modum, ut scilicet ita proximum diligamus, ut dilexit nos Christus, qui nos non solum ut seipsum, sed et quodammodo plusquam seipsum dilexit 3.° quia vetus mandatum novo addito spiritu a Christo promulgatum est, sicut novum Testamentum dicitur, quia veteribus praeceptis gratiam etiam, qua servarentur, adjecit. 4.° quia, ut advertit *Maldonatus,* novum apud Hebraeos dicebatur, quod esset praestantissimum sicut *canticum novum* 5.° quia verba illa: *mandatum novum do vobis,* ut idem observat auctor, significare possunt, ac si diceret: *iterum, vel denuo mandatum do vobis.* 6.° denique quia ut *Augustinus* advertit, novum etiam dici potest, quod homines renovet, ut simus, ut ait Apostolus, *nova creatura Galat. VI.* 15. Ex quibus rationibus eam, quae verisimilior videatur, sequi lectores poterunt: nobis prima probabilior videtur.

Objic. CCI. Christus *Joan. XVIII.* 20. Pontifici interroganti respondit: *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga, et in templo; quo omnes Judaei conveniunt: et in occulto locutus sum nihil.* At

contra constat ex Evangelio, illum aliquando docuisse in deserto, in privatis aedibus, aliquando etiam nocte. Deinde ipse Apostolis dixit *Matth. X. 2. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis. praedicate super tecta.* Ergo secum non consentiunt istae sententiae.

℟ *Neg. cons.* Quod enim privatim aliquando praedicavit, non erat contrarium iis, quae publice docebat, neque occulta quaedam, et arcana doctrina. Explicavit quidem aliquando Apostolis clarius, quod publice per parabolas praedicaverat obscurius, sed hoc non efficiebat ut privata doctrina dici posset arcana, aut publicae praedicationi contraria. Vide Estium *in Comment.*

Objic. CCII. Quod ait Christus *Joan. XX.* 29. *Beati qui non viderunt, et crediderunt,* videtur iis esse contrarium, quae discipulis antea dixerat *Luc. X.* 23. *Beati oculi, qui vident quae vos videtis.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* In priori enim sententia *Joan. XX.* eos, qui non viderunt, et crediderunt praefert iis, qui nihil credere unquam volunt, nisi quod vident, qualis erat *Thomas*, quem Christus eo in loco redarguit, qui dixerat, *nisi videro, et tetigero, non credam.* In posteriori autem sententia, in eo Apostolos Prophetis, ac Patriarchis praefert, quod ea, quae illi longe, obscure, et spiritu viderant, isti prope, ac perspicue viderunt, ac manibus contrectarunt: sicut *Joannes* ait: 1. *Joan.* 1. 2. *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae.* Itaque alio sensu beatiores erant discipuli, qui Christum videbant, quam Prophetae, qui praeviderunt: aliò autem sensu beatiores qui non viderunt, et crediderunt, quam ii, qui noluerunt credere, nisi ea, quae viderunt.

Objic. CCIII. Ait *Joannes XXI.* 14. *Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis.* Sed si aliis credimus Evangelistis, saepius antea apparuerat; ita ut ipsa resurrectionis die apparuisse dicatur sexies. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Ait *Joannes*, Christum tunc tertio apparuisse discipulis omnibus, vel multis simul congregatis, *conc.* Tunc tertio simpliciter apparuisse, *neg.* Quamvis ergo saepius Christus post resurrectionem apparuerit Magda-

lemae, mulieribus e sepulcro redeuntibus, discipulis in Emmaus, etc. ea tamen die, qua in mari Tiberiadis piscabantur discipuli, tertio iis omnibus, vel plerisque simul apparuit. Primo enim ipsa resurrectionis die ipsis apparuerat, absente *Thoma*; secundo octo post diebus, cum etiam *Thomas* adesset; tertio ad mare Tiberiadis. Vide *Maldonatum*, qui hac de re fuse disserit *Comment. in Matth. XXVIII.* 16.

Objic. CCIV. Ita Evangelium concludit *Joannes XXI.* 25. *Sunt autem et alia multa, quae fecit Jesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Atqui immodica haec hyporbole Spiritui Sancto tribui non potest. Ergo

℟. Nomine mundi intelligere *Joannes* potuit ipsos homines, praesertim mundanos, quo sensu nomen illud saepe in Evangelio usurpat, et in Epistolis; verbum autem *capere* significare ibi potest, ut advertit *Augustinus*, aliique, intelligere, vel memoria retinere, vel etiam credere, ut post *Hyeronimum*, aliosque veteres putat *Heinsius*, sensus ergo esse potest, mundanos homines intelligere, credere, vel memoria complecti non posse libros omnes, qui scribendi essent si Christi facta, dictaque omnia singillatim scriberentur, vel saltem eorum scrutari non posse profunditatem, atque mysteria. Qua in re si aliqua est hyperbole, est illa utique modestissima. Sed si per mundum intelligendum esse totum terrarum orbem, contendas (non enim caelum, et terram intelligi posse manifestum est) non insueta est hominibus haec hyperbole, ad explicandam rerum multitudinem aptissima, sicut *Joan. XII.* 19. Pharisaei dicebant: *Ecce totus mundus post eum abiit.* Ad hominum autem captum, eorumque loquendi morem accomodata esse Dei verba, non est, cur adversarii reprehendant.

Objic. CCV. Videtur *Lucas* aliorum Evangelistarum opera improbasse. Ait enim *Luc. I.* 1. *Quoniam multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum, sicut tradiderunt nobis, qui a principio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis; visum est et mihi assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile.* Nutat ergo

omnium Evangelistarum auctoritas: sicut enim *Lucae* aliorum evangelia displicuerant, ita et suum, et *Joannis* Evangelium, quod postea prodiit, displicere aliis poterat.

℟. *Neg. ant.* Quod enim ait: *Quoniam multi conati sunt ordinare narrationem, . . . visum est et mihi etc.* 1.° referri potest non ad *Matthaeum*, et *Marcum*, qui duo non poterant dici *multi*, sed ad evangelia illa, quae sub nomine Apostolorum edita fuerant vel a fidelibus, qui res ab Apostolis illis enarratas scripserant, vel ab haereticis. Talia fuerunt Evangelia *secundum Hebraeos*; *secundum Ægyptios*; item Evangelium *s. Jacobi*, *s. Thomae*, *s. Andreae*, *s. Bartholomaei*, *s. Pauli*, *s. Matthiae*, *s. Thaddaei*, *s. Philippi etc.* de quibus vide Calmet *Dissert. in Evang. apocryph.* Fabricium in *Codice Pseudepigraph.* Millium *Proleg. in N. Test.* Hanc sententiam multi tradidere veteres, in primis *Origenes*, *Ambrosius*, *Augustinus*, aliique non pauci; praesertim cum *Joannis* Evangelium nondum prodierit, *Matthaei* vero Evangelium Hebraice, vel Syriace scriptum, fortasse nondum apud Graecos esset vulgatum. 2.° Quamvis illa Lucae verba etiam *Matthaei*, et *Marci* Evangelia spectasse fingamus, quod et *Maldonatus* concedit, non inde efficitur, ut *Lucas* illa improbaverit, quod ne verbo quidem innuit, sed ut se socium illis in scribendo voluerit divino consilio adjungere; ait enim: *visum est et mihi.* Divina enim providentia factum est, ut eadem historia a pluribus simul scriberetur: quorum consensio omnem dubitandi rationem amputaret, licet nonnullae rerum circumstatiae ab uno praetermissae, ab alio commemoratae sint.

Inst. In recitatis verbis satis ostendere videtur *Lucas* Evangelistas alios, et seipsum humano consilio, et ratione fuisse ad scribendum incitatos. Ait enim 1.° multos fuisse *conatos*, quod ostendit, eis temere aggressis rem infeliciter cessisse. 2.° addit, se res accepisse ab iis qui viderunt, et ministri fuerunt sermonis, quod Spiritus Sancti inspirationem videtur excludere. 3.° subjungit: *visum est et mihi*; quod clare significat, se humanis rationibus motum, sicut profani Scriptores in adornandis historiis facere consueverunt. Ergo etc. Idem

objici solet de *Marco*, qui rogatus a fratribus scripsit Evangelium, sicut Petrum praedicantem audiverat.

℟. *Neg. ant.* Quod enim ait, multos fuisse conatos, etsi nonnulli Patres, praesertim Latini, qui ea verba de falsis Evangeliis explicant, ita exponunt, ut temerariis eorum conatibus non responderit felix eventus; tamen secundum Graeci verbi ἐπεχείρησαν vim, et potestatem, significat tantum, multos rem fuisse aggressos, quod aeque laudi, ac vitio verti solet, nec infelicem semper operis exitum ostendit, ut observat *Maldonatus.* Quod autem addit, visum esse sibi, assecuto omnia diligenter ab iis, qui viderant, et praedicaverant, eamdem scribere historiam, Spiritus Sancti inspirationem non excludit. Neque enim divina inspiratio diligentiam in exquirendis rebus prohibet, neque efficit, ut Scriptor non libenter, et libere ad opus aggrediatur; quod ex altero *Machabaeorum* libro perspicuum est, de quo dicemus inferius. Sic Apostoli *Act. XV.* 28. ajunt: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis*: et qui diceret: visum mihi est, fieri Christianum, non utique divinum excluderet, aut negaret impulsum, ut ex *Ambrosio*, *et Beda* observat *Maldonatus in hunc loc.* Idem de *Marco* esto responsum.

Objic. CCVI. In referenda Christi resurrectione magna est dissonantia Evangelistarum. *Matthaeus* enim ait, mulieres venisse ad monumentum *vespere sabathi*; Marcus *valde mane*, *orto jam sole*; Lucas *valde diluculo*; Joannes *cum adhuc tenebrae essent.* Praeterea *Matthaeus* ait, mulieres ab Angelo audivisse: *Nolite timere, scio enim quod Jesum quaeritis; surrexit, non est hic*, idque eas Apostolis nunciasse. *Lucas* Angelos ait fuisse duos. Contra vero *Joannes* ait, mulieres, corpore Christi non invento, regressas dixisse Apostolis: *Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus, ubi posuerunt eum*; quod non dixissent, si de resurrectione Christi ab Angelis fuissent edoctae. Deinde vero addit, *Mariam* vidisse Angelos, ipsumque Christum. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Quamvis enim *Joannes* nonnullas memoret circumstantias ab aliis praetermissas Evangelistis; nihil tamen inter eos dissensionis est. Nam quod ait

Matthaeus *Vespere Sabathi*, idem est quod alii Evangelistae dicunt, *valde mane*, *valde diluculo etc.* ait enim Matthaeus: *Vespere autem Sabathi, quae lucescit in prima sabathi*, hoc est, die prima post sabathum, exorta jam stella, quae paulo ante auroram oritur, quaeque *Vesper* et *Lucifer* appellatur, ideoque valde mane, et cum adhuc tenebrae essent, profectae domo mulieres pervenerunt ad monumentum, orto jam sole. Cumque revolutum invenissent monumenti lapidem, nihilque in sepulchro invenissent, cucurrit cito Maria ad Apostolos dicens: *Tulerunt Dominum, et nescimus ubi posuerunt eum*; necdum enim Angelos viderat. Interea temporis aliae duae mulieres prope monumentum manentes, Angelos viderunt, qui eas de resurrectione Jesu admonuerunt; quod illae cito nunciarunt Apostolis. Reversa dehinc ad monumentum *Maria* id nesciens, et plorans, Angelum, ipsumque Jesum videre meruit. Quaenam hic dissensio est? Vide Benedictum XIV. *de festis*. Alias autem apparentes in Evangeliis discrepantias, quas fuse *Augustinus* in Libris *De consensu Evangelistarum* conciliat, quia non multum difficultatis habere videbantur, praetermisimus.

Objic. CCVII. *Act. VII.* in sermone S. Stephani multa sunt, quae veritati historiae non congruunt. Ait enim 1.° *Deus apparuit Abrahae, cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan*, cum contra *Gen. XI.* 31. Abraham egressus sit ex *Ur Caldaeorum*, cumque venisset in *Charan*, tunc ait Dominus *Gen. XII. Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui.* 2.° ait Israelitas fuisse aecolas in terra aliena, et servituti subjectos annis quadrigentis, in quo numerorum error est, cum constet ex *Exodo*, annos fuisse quadrigentos triginta. *Exod. XII.* 40. *Filii*, inquit, *Israel manserunt in Ægypto annis quadrigentis triginta.* 3.° ait: *Descendit Jacob in Ægyptum; et defunctus est ipse, et patres nostri, et translati sunt in Sichem*, cum constet ex *Genes. L.* 13. corpus *Jacob* transalatum fuisse in *Hebron.* 4.° immemor ejus, quod principio dixerat: *Non dedit illi* (Deus in terra Chanaan) *hereditatem, nec passum pedis*, subdit: *Et positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham pretio argenti a-*

filiis Hemor filii Sichem, cum constet *Genes. XXIII.* 2. Abraham emisse sepulcrum ab *Ephron* filio *Seor*: *Hemor* autem dicitur Pater *Sichem Genes. XXXIV.* 19. neque sepulcrum ab Abrahamo emptum fuit in *Sichem*, sed in *Hebron*. 5.° ait, *Jacobi* familiam in Ægyptum ingressam fuisse in *animabus septuaginta quinque*, cum in *Genesi Cap. XLVI.* 27. numerentur septuaginta, scilicet sexaginta sex ex *Jacobo* nati, ut dicitur *v.* 26. et praeterea *Jacob* ipse, *Joseph*, et duo ejus filii. Ergo.

℟. Ad hanc celebrem, et jam apud Theologos vetustate contritam difficultatem enodandam, respondent nonnulli, ut *Beda*, *Rabanus*, *Melchior Canus*, in aestu disputationis, praesertim extemporaneae, et satis longae *Stephanum* quaedam in narratione confudisse, in nonnullis memoria lapsum; neque inde nutare Sacrarum Scripturarum veritatem, ac fidem; quippe *Lucam in Actis*, ea quae a *Stephano* dicta fuerant, fideliter retulisse, ita ut quamvis in aliquibus *Stephanus* erraverit, vera tamen sit *Lucae* narratio.

Sed nobis ad eam defensionem confugere non videtur necessarium. *Ad* 1m. enim facile est respondere, nomine *Mesopotamiae* Stephanum *Chaldaeam* etiam intellexisse, omnemque regionem, quae erat trans Euphratem, quod et a *Plinio* etiam factum esse scimus. Idque perspicuum est ex ipsa *Stephani* narratione, qui paulo post *Act.* VII. 4. ait: *Tunc exiit de terra Caldaeorum*, ut nulla dubitatio esse possit, in Mesopotamia Caldaeam etiam regionem comprehendisse. Quod autem *Genes. XII.* 1. postquam Abraham venit in *Charan*, legitur: *Dixit autem Dominus ad Abram*: *Egredere de terra tua, et de cognatione tua etc.* non efficit, ut falso narraverit *Stephanus*, Deum ista Abrahamo dixisse priusquam veniret in *Charan*; cum in eo *Cap. XII.* Geneseos, repetatur veluti a principio tota series profectionis *Abraham*; ita ut sensus sit: *Dixerat autem Dominus Abraham etc.*

Ad 2m. facilius respondemus, *Stephanum* rotundum, ut ajunt, posuisse numerum, neglectis iis annis, qui redundabant; cum praesertim si ducas exordium non a vocatione *Abraham*, sed a nativitate *Isaac*, uti revera ducendum est, cum prophetia illa non de *Abrahamo*, sed de ejus posteritate facta sit, inveniantur anni vel

adamussim quadringenti, vel quadringenti et quinque, ut advertunt eruditi.

Ad 3m. Non ait *Stephanus*, *Jacob* sepultum esse in Sichem, sed *defunctus est*, inquit, *ipse et patres nostri, et translati sunt in Sichem*; ita ut commode verba illa referri possint ad patres ipsos, nempe duodecim *Jacobi* filios; qui quidem, ut auctor est Josephus *Lib. II. Antiq. Cap.* 4. primum positi in *Sichem*, deinde in *Hebron* translati sunt.

Ad 4m. missa *Augustini Eugubini* responsione, qui librariorum hic errorem esse putat, legendumque: *quod emit Jacob a filiis Hemor patris Sichem*, cum nullius auctoritate codicis ea *Eugubini* emendatio comprobetur; jam diximus *Lib. II. Cap.* 3. ex multorum opinione interpretum, *Seor* etiam *Hemor* fuisse appellatum, filiumque esse *Sichem*, non illius quidem, qui tempore *Jacobi* vivebat, a cujus patre emit *Jacob* agrum centum agnis *Genes. XXXIII.* 19 sed alterius antiquioris; quod quidem *Stephanus* vel ex vetusta traditione, vel ex Spiritus Sancti afflatu affirmare potuit. Quod autem ait, Abraham pretio emisse sepulcrum a filiis Hemor, non adversatur iis, quae principio dixerat, Deum non dedisse Abramo hereditatem in terra Chanaan *nec passum pedis*. Deus enim universam terram illam non emendam, sed veluti haereditate gratis occupandam, ac possidendam pollicitus erat; cujus haereditatis ne minimam quidem partem Abrahamo dedit, cum semper ille ibi velut hospes moratus fuerit; et si ibidem sepulcrum habuit, pretio comparare debuerit, ita ut omnis divinae promissionis effectus Abrahami nepotibus fuerit reservatus.

Ad 5m. Quamvis Hebraicus textus, et vulgata versio recenseant animas septuaginta, tamen Septuaginta interpretes septuaginta quinque posuerunt; adjectis scilicet quinque filiis *Ephraim*, et *Manasse*; vel quia ita habebant meliores, quibus utebantur, hebraici codices, vel quia eum numerum, utpote verum, putarunt adjiciendum. Cum ergo versio LXX. esset tunc pervulgata, juxta ejus lectionem, quoniam nihil hac in re falsum continebat, *Stephanus* septuagintaquinque animas jure potuit asserere.

Quod ex *Act. V.* objiciunt *Volterius*, aliique de *Ana-*

Digitized by Google

nia, ac *Saphira*; quasi illi a *Petro* interfecti essent, uti meram calumniam praetermittimus. Nihil enim aliud fecit *Petrus*, quam eorum reprehendere mendacium. Ut autem illi cito morerentur, non a *Petro*, sed a Deo mirabiliter factum est; quod quidem non optavit, sed praevidit tantummodo, ac praedixit *Petrus*.

Objic. CCVIII. *Act. XIII.* 21. Ait Paulus: *Dedit illis Deus* (Regem) *Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin, annis quadraginta.* Atqui constat ex *I. Reg. XIII.* 1. *Saulem* duobus annis regnasse. *Filius unius anni erat Saul, cum regnare coepisset, et duobus annis regnavit super Israël.*

℟. *Neg. min.* Missa enim nonnullorum interpretum opinione, ut *Ariae Montani, Adricomii etc.* qui docent, Saulem revera duobus annis legitime regnasse, nec id adversari sententiae Apostoli *Pauli*, quia in reliquis annis, quibus usque ad annos quadraginta regnum administravit, non jure illud possedit, utpote jam a Deo reprobatus, ac rejectus, uncto jam per *Samuelem* Rege *Davide*; missa, inquam, hac opinione, sensus ejus loci, qui in objectione positus est ex *I. Reg. XIII.* hic est: *Jam Saul duobus regnaverat annis*, sive in secundo anno regni ejus acciderunt ea, quae in illo capite narrantur. Ait enim: *Duobus annis regnavit super Israel. Et elegit sibi Saul tria millia de Israel etc.* Non dicitur ergo, eum non amplius duobus regnasse annis, sed post duos ejus regni annos, sive in secundo regni anno comparasse exercitum, et cum Philistaeis bellum gessisse. Restat ergo tantum difficultas de prima ejus loci parte: *Filius unius anni erat Saul, cum regnare coepisset*; quae quidem pars sensum utique habet obscurum, sed non contrarium sententiae *Pauli*; ideoque eam explicare non est hujus loci. Quidam id intelligunt de *Saulis* innocentia, ac simplicitate, quasi puer esset unius anni. Ita *Theodoretus, Gregorius M., Lyranus, Tostatus, etc.* Alii, ut *Rabanus, Serarius etc.* ita explicant: *Saul primo anno regni sui filium genuit*; is est *Isboseth*, qui post mortem *Saulis* quadraginta erat annorum. Nonnulli, ut *Scaliger, Melchior Canus, Castalio etc.* volunt, in hebraico textu desiderari litteram, quae numerum exprimebat annorum *Saulis*

cum regnare coepit, ita ut sensus sit: *Saul erat . . . . annorum* (puta triginta, vel plus minusve) *cum regnare coepisset.* Syriaca versio; atque Arabica sic habet: *Saul in primo, et secundo regni sui anno elegit sibi tria millia virorum. Vatablus, Cornelius a Lapide, Calmet, Grotius, Drusius, Munsterus, Clericus* putant, verba illa: *filius anni erat Saul cum regnare coepisset* (neque enim in Hebraico textu expressus est numerus *unius*) esse veluti conclusionem eorum, quae in praecedenti *Cap. XII.* dicta fuerant de concilio in Galgalis habito, ubi *Saul* constitutus est rex, ita ut sensus sit: *Hoc igitur anno Saul regnare coepit: in secundo autem regni sui anno elegit sibi tria millia virorum etc.* Quae quidem sententia nobis, si quid nostrum valet judicium, arridet; ita tamen ut liberum sit lectoribus aliam sequi, si verisimilior videatur.

Objic. CCIX. *Act. IX.* 7. de viris, qui Paulum comitabantur, cum iret Damascum, dicitur: *Viri autem illi, qui comitabantur cum illo, audientes vocem, neminem autem videntes.* At contra ipse *Paulus*, qui rem optime nosse debebat, de iis ait *Act. XXII.* 9. *Qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt.* Sed haec sibi invicem adversantur. Ergo.

℟. *Neg. min.* Quod enim dicitur in *Cap. XXII.* Pauli comites vidisse lumen, non destruit id, quod *Cap. IX.* dicitur, eos neminem vidisse, lumine scilicet eorum oculos prestringente. Quod vero dicitur, vocem non audivisse, significat, eos non intellexisse verba, quae *Paulus* intellexit; sed confusam vocem; sicut etiam in Evangelio legimus *Joan. XII.* 28. *Venit vox de coelo dicens: et clarificavi, et iterum clarificabo*; tamen omnes, praeter Christum, circumstantes eam vocem nequaquam intellexerunt; sequitur enim: *Turba ergo, quae stabat, et audierat, dicebat tonitruum esse factum; alii dicebant, Angelus ei locutus est.*

Objic. CCX. *Act. XV.* 28. in Epistola *Synodica*, quam Apostoli ex Jerosolymitano concilio ad fratres ex Gentibus collectos scripserunt, sic ajunt: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immo-*

latis simulacrorum, *et sanguine*, *et suffocato*, *et fornicatione*, *a quibus custodientes vos*, *bene agetis*. Atqui in ea sententia duplex videtur absurdum esse. Primum quidem, quod abstinentia ab immolatis, sanguine, et suffocato necessaria esse dicitur, quasi praeceptum juris naturalis esset. Alterum vero, quod praeceptis iis, quae ceremonialia erant, fornicationis abstinentia adjungitur, quae lege naturae praecepta est, et expresse in Decalogo posita. Si autem dicere voluissent, servanda esse Decalogi praecepta, omnia potius commemoranda erant, quam unum dumtaxat, ceteris praetermissis, indicere. Ergo.

R. *Neg. min.* *Ad* 1m. Ideo abstinentia ab immolatis simulacrorum, a sanguine, et suffocato, dicta est pro eo tempore necessaria, quia cum Ecclesia tunc esset ex Judaeis, atque Gentilibus colligenda, necesse erat, ut qui ex Gentilibus baptizati erant, ab iis abstinerent, a quibus maxime Judaei abhorrebant, ne forte eorum ciborum usus fidelibus permissus, Judaeos a Christiana religione averteret, praesertim cum abstinentia a sanguine ante Mosaicam legem a Deo jam pridem Noë praecepta *Genes. IX.* 4. veluti primaeva, ac naturalis lex esse Judaeis videretur. Quapropter non ideo necessaria ea praecepta dicuntur ab Apostolis, quia ex naturae lege profecta sunt, sed quia id temporum ratio postulabat. *Ad* 2m. Sunt quidem nonnulli, qui per fornicationem eo in loco idololatriam, aut concubinatum, aut aliud intelligendum putant, sed licet vera intelligatur fornicatio, non erat necesse universum Decalogum servandum praecipere; cum illud unicuique naturali lumine inditum cognosci facile posset; unde ait Apostolus in Epistola *ad Romanos*, Gentiles ostendere opus legis scriptum in cordibus suis. Sed de fornicatione aliqua potuisset incidere dubitatio, cum apud Gentiles nonnullos, quorum erat intellectus voluptatibus excaecatus, simplex fornicatio non videretur lege naturali vetita, ut observant Calmetus *Comment. in Genes. XXXVIII. et alibi*, *Sanctius*, *Grotius*, *Comment. in cap. XV. Act.* aliique, ideoque specialis de ea mentio facienda erat. Vide eundem Calmet in *Comment. in Acta Apost.*

Objic. CCXI. *Act.* XVI. 6. *Transeuntes autem Pau-*

las, et *Silas Phrygiam*, et *Galatiae regionem vetiti sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia*. Atqui hoc duabus rationibus videtur absurdum. Primo enim intelligi non potest, quo tandem pacto, quave de causa Spiritus Sanctus Apostolos vetuerit in magna illa terrarum parte verbum Dei loqui, cum eos Christus jusserit in mundum ire universum, ac praedicare Evangelium omni creaturae *Marc*. XVI. 15. Deinde constat ex *Act. XIX*. eumdem Paulum venisse Ephesum praeclarissimam Asiae urbem, ibique per biennium praedicasse Evangelium, *ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judaei, atque Gentiles*. Quid? num contra Spiritus Sancti impulsum, atque praeceptum in Asiam venit? Absurdum est. Num ex ejusdem Spiritus Sancti inspiratione? At id Spiritum Sanctum vetuisse *Lucas* paulo ante dixerat. Ergo.

℞ *Neg. min. Ad* 1m. Quamvis Apostolos Christus praedicare jusserit Evangelium omni creaturae, ut quantum in ipsis erat, nullo discrimine Judaeis, ac Gentilibus, Graecis, ac barbaris praedicarent, ad inscrutabilia tamen ejus judicia pertinet, quod nonnullis gentibus vel in ipso Evangelii exordio, vel deinceps ad nostram usque aetatem praedicari Evangelium vel omnino, vel ad tempus non permiserit. Nondum igitur eo tempore praedicari in Asia Evangelium decreverat Deus. Quod quidem de Asia proprie dicta sive de Asia proconsulari intelligendum est; nam in Asia minori jam praedicaverat Paulus, cum ad eam provinciam *Galatia*, *Phrygia*, *Pisidia*, *Lycaonia*, *Pamphylia*, quas antea peragraverat, pertineret. *Ad*. 2m. facilior est responsio, distinguenda esse tempora. Cum enim decrevisset Deus, praedicari primum in *Macedonia*, atque *Achaja*, deinde in Asia Evangelium; non permisit primo ut in Asiam *Paulus* transiret. At postquam in duabus illis provinciis Evangelii semina sparsit, idem Dei Spiritus, qui antea vetuerat, impulit; ut in Asiam transiret.

Objic. CCXII. *Act. XVI*. 37. *et XXII*. 25. Paulus civem se Romanum esse jactavit. Atqui hoc falsum videtur. Vel enim *Paulus* erat e Tharsis oriundus, et sciunt Antiquarii, civitatem illam non habuisse jus Romanae civitatis, nisi centum post *Paulum* annis. Vel ortus

est Giscalae Galilaeae vico, ut ait *Hieronymus*, et multo minus Romanus erat. Ergo,

℟. *Neg. min.* Ortus enim est Paulus non *Giscalae*, ut asseruit primum *Hieronymus*, sed errorem correxit *Com. in Epist. ad Philem.* verum Tarsi in Cilicia, quae civitas, quia *Caesaris* partes secuta erat, civitate Romana a *Caesare* ipso donata est, ut testatur Dio Cassius *Lib. XLVII Hist.* et observat Spanhemius *Lib. IX. De praestant. et usu numism.* Sed etsi daremus, eum aliunde ortum, poterat aliquis ex ejus majoribus jus illud pecunia comparare; sicut ait etiam Tribunus *Act. XXII.* 28. *Ego multa summa civitatem hanc consecutus sum.*

Objic. CCXIII. *Act.* XX. 22. ait Paulus: *Ecce alligatus ego Spiritu vado in Jerusalem.* Sed *Act. XXI.* 4. *Discipuli per Spiritum dicebant Paulo, ne ascenderet Jerosolymam.* Idem ergo Spiritus contraria loquebatur.

℟. *Neg. cons.* Discipuli quidem Spiritu prophetico praeviderunt quae Paulus Jerosolymis passurus erat, quod non est contrarium iis, quae ait Paulus *Act. XX. Alligatus ego Spiritu vado in Jerusalem, quae in ea ventura sint mihi ignorans, nisi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur dicens, quoniam vincula, et tribulationes Jerosolymis me manent.* Disciputi autem persecutiones illas praevidentes, proprio spiritu, atque humano affectu suadere Paulo nitebantur, ne iret Jerosolymam.

Objic. CCXIV. *Paulus* reprehendit *Petrum*, quod Judaicos ritus servaret *Galat.* II. 11. et tamen Jerosolymis, ne a Judaeis odio haberetur, more Nazaraeorum purificatus est in templo, offerrique pro se sacrificium voluit *Act. XXI.* 26. Scripsit ad Galatas *Cap. V.* 2. *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit*; et tamen *Act. XVI.* 3. circumcidit *Timotheum*: Ergo simulationem docuit in religionis negotio.

℟. *Neg. cons.* Eos enim Paulus reprehendit, qui circumcisionem, aliosque Mosaicos ritus ad salutem necessarios esse docebant; non eos, qui illis utebantur ad tempus, ut Synagoga honorificentius tumularetur. Vide quae diximus *Lib. IX. Cap.* 10.

Objic. CCXV. *Act. XXIII.* Cum *Paulus* Jerosolymis comprehensus, et eorum Sacerdotum concilio constitutus esset, atque ibi quidam ministrorum jussu principis Sacerdotum alapam ei impegisset, sic in principem ipsum invectus est: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Deinde sciens, concilium duabus constare partibus: altera Pharisaeorum, altera Sadducaeorum, ut contentionem, et discordiam inter eos sereret, ait; *Viri fratres, ego Pharisaeus, sum filius Pharisaeorum, de spe, et resurrectione mortuorum ego judicor*, ex quo tam vehemens in concilio inter Pharisaeos, Sadducaeosque facta contentio est, ut auctoritate tribuni per milites fuerit compescenda; atque ita *Paulus* evaserit. Atqui ea in re multa *Paulus* peccasse videtur. 1.° enim contra praeceptum Christi, qui jussit percutienti alteram maxillam praebere *Matth. V.* 39. tam duriter Principi Sacerdotum respondit, ac maledixit, cum tamen *I. Cor. IV.* 12. scribat: *Persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus.* 2.° Discordiam inter Sacerdotes callida oratione seminavit. 3.° Falso ait, se judicari ea de causa, quod Pharisaeus esset, credens mortuorum resurrectionem, cum constet ex praecendeti *Cap. XXI. et XXII. Act.* illum ideo comprehensum, quia Gentiles introduxisse in templum, et contra legem Moysi praedicasse ferebatur. Debebat autem voce libera confiteri, se esse Christianum. Et tamen in Scripturis ea *Pauli* calliditas laudatur. Ergo.

℟. *Neg. min. Ad* 1m. Praeceptum Christi non illud significat, ut causam religionis, quam tunc Paulus sustinebat, deseramus; sed ut parati simus omnes ferre contumelias nostras, cum id expedit, nec vergat in damnum publicum, ne charitatem abjiciamus. Paratus igitur erat Paulus non solum alteram percutienti maxillam praebere, verum etiam persecutionem pati, et blasphemari, et mori pro fratribus suis, si id eorum saluti expediret. Sed tunc non expediebat, sed erat potius charitatis officium ostendere injustitiam eorum. qui religionem Christianam insectabantur, qui in judicio hominem, indicta, et inaudita causa condemnabant; praesertim cum ignoraret Paulus, eum, qui injuste alapam impingi jusserat, esse Principem Sacerdotum, sicut ait *v.* 5. *nesciebam, fratres,*

quia Princeps est Sacerdotum, vel quia jam non erat legitimus princeps, ut nonnulli putant, vel quia jam Sacerdotium cessaverat in morte Christi, ut alii existimant, vel quia multos jam annos Jerosolymis absens, revera, quis Princeps Sacerdotum esset, nesciebat. Neque vero Pauli verba *percutiet te Deus* imprecationem, sed praedictionem continent, ut advertit Augustinus *Lib. I. De Serm. Dom. in mont. Cap.* 19. quam praedictionem etiam *Machabaei* fratres ab *Antiocho* torti, atque necati inter ipsa tormenta libere ediderunt II. *Machab.* VI. Quod vero ait: *paries dealbate*, ex zelo profectum est, cujus rei non solum prophetae *Elias*, *Elisaeus*, aliique; sed ipse Christus exemplum praebuerat, qui Pharisaeos hypocritas, et sepulcra dealbata appellaverat.

Ad 2m. Cum duae essent Synhedrii partes, Pharisaeorum, et Sabducaeorum, prudentiae fuit, ut unam saltem sibi conciliaret, injecta quaestione de resurrectione mortuorum, quae inter judices ipsos erat acerrima, ut observat Chrysostomus *Hom. XLIX. in Acta.* cum revera Paulus resurrectionem mortuorum, tamquam unum ex praecipuis religionis Christianae dogmatis praedicaret, in quo dogmate Pharisaeos habebat fautores. Ceterum, ut advertit Gregorius. M. Lib. XXXIV. *Moral. Cap.* 4. et S. Thomas 2a. 2ae. *Q.* XXXVII. *art.* 2. quando iniquorum hominum consensio reipublicae, et Ecclesiae noxia est, licet inter illos serere dissensionem, non quidem malis artibus, atque mendaciis, sed opportunam tempori, et causae, sicut *Paulus* fecit, movendo quaestionem. Ait autem, se esse Pharisaeum, et filium Pharisaeorum, quia in eo dogmate de resurrectione mortuorum a puero institutus a Pharisaeis erat.

Ad 3m. Falsum erat, et mera calumnia, *Paulum* aut Gentiles in templum induxisse, aut contra Mosaicam legem praedicasse, cum contra eam honoraret, licet non amplius necessariam, imo tunc in templo Mosaicos ritus servaret. Vera igitur causa irarum adversus *Paulum* fuerat, quia Christi resurrectionem praedicabat, cui et omnium hominum resurrectio, et Christianae religionis veritas, et Mosaicae legis cessatio innitebatur; ideoque vere dixit Paulus, se de resurrectione mortuorum

judicari. Non dixit autem clarius, se judicari de praedicatione resurrectionis Christi, quia non erat id loco illi, et tempori opportunum.

Objic. CCXVI. *Act. XXV.* 13. dicitur *Agrippa* Rex descendisse Caesaraeam ad salutandum *Festum*. Atqui Regem illum, sive *Herodem Agrippam* idem Auctor jam antea interiisse scripserat ab Angelo percussum, atque absumtum a vermibus *Act. XII.* 23. Ergo.

℟. *Neg. min.* *Herodes* enim ille, de quo Lucas *Act. XII.* 23. scribit, qui et *Jacobum* Apostolum interfici jusserat, et *Petrum* in vincula conjecerat, pater erat *Herodis* hujus *Agrippae*, de quo *Act. XXV.* mentio facta est, ut ex *Josepho* Hebraeo discimus.

Objic. CCXVII. *Act. XXVII.* 33. Post dierum quatuordecim tempestatem ait *Paulus* iis, qui secum in navi erant: *Quartadecima die hodie expectantes jejuni permanetis nihil accipientes: propter quod rogo vos, accipere cibum pro salute vestra.* Quis autem intelligat, homines ducentos septuaginta sex, tot enim in navi fuisse scribit auctor, per dies quatuordecim jejunos vivere potuisse? Ergo.

℟. Nonnulli quidem interpretes concedunt, homines illos per dies quatuordecim modicum aliquid identidem comedisse; quod non obstat, quominus dicere potuerit Paulus, illos permansisse jejunos, cum fuerit propter tempestatis jactationem, ac praesentissimae mortis metum, tam exiguus cibus, ut pro nihilo haberi posset. Sed etsi dicamus cum aliis, illos revera nihil omnino iis diebus gustasse, non hinc efficitur, ut necessario mori omnes prae inedia debuerint. Nam praeterquam quod ait *Plinius*, multos ultra diem undecimum sine ullo cibo vixisse; advertendum est, in ipsa navis jactatione magnam stomachi, aliorumque viscerum perturbationem fieri; ideoque sicut aegrotos etiam diebus plusquam quatuordecim sine cibo vivere videmus; ita in illa tempestate fieri potuit. Quid vero si dicamus, Deum, qui *Paulo* revelaverat, omnes illos, qui in navi erant, incolumes evasuros, eos mirabiliter servasse, qui *Eliam* quadraginta diebus, et quadraginta noctibus sine ullo cibo servaverat?

Objic. CCXVIII. *Rom.* IV. 13. ait Apostolus: *Us-*

que ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Atqui hoc falsum esse, ex ipsa veteris Testamenti historia videtur, ex quo scimus, Deum peccata hominum et imputasse, et severe castigasse. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Non imputabatur, idest non agnoscebatur ab hominibus solo naturali lumine valde tenebricoso, *conc.* Non imputabatur a Deo, *neg.* Atque hac ratione dissolvitur etiam *Praeadamitarum* cavillatio, qui ex hoc Apostoli loco probare conantur, extitisse homines ante Adamum, quia *usque ad legem* significare putent usque ad legem *Adamo* impositam. Quod quidem valde ineptum est.

Objic. CCXIX. *Rom. V.* 20. Ait Apostolus: *Lex subintravit, ut abundaret delictum.* Atqui absurdum est, ideo Deum legem jussisse, ut magis hominum scelera multiplicarentur. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Verba enim illa, *ut abundaret delictum*, non significant, eo consilio Deum jussisse legem, ut delicta abundarent, sed effectum, qui ex lege consecutus est; quasi diceret: *lex subintravit, ita tamen, ut abundaret delictum*; quia scilicet prona in malum voluntas hominis in vetitum nititur, nisi gratia adjuvet ad servandam legem. Sensus ergo Apostoli est, primo per unum hominem Adam peccatum in mundum intrasse; deinde subintrasse legem; ita tamen, ut ea occasione, propter hominum pervicaciam, magis abundaverint peccata. Quae quidem peccata ex occasione legis multiplicanda quamvis praeviderit Deus, non idcirco tamen jubere legem praetermisit, sed peccata ipsa permittere decrevit, ut imbecillitatem suam agnoscentes homines ad Jesum Christum confugerent, ejusque gratiam flagitarent. Vide *Estium*, et *S. Thomam in Comment.*

Objic. CCXX. Ait Apostolus *Rom. VII.* 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Qua in re duo sunt, quae rationi videntur contraria. Primum quidem quod ait, non cognosci peccatum, nisi per legem, quasi ante Mosaicam legem, de qua ibi sermonem instituit,

peccatum homines ignoraverint, aut antequam ipse, aliique eam legem cognoverint, nullo modo discernere inter recte factum, atque peccatum potuerint. Quod quam sit absurdum ex eo perspicuum est, quod et ante Mosaicam legem scelera hominum, atque flagitia severe Dominus castigavit. et post editam legem illam, Gentiles, quibus ea nullo modo significata fuerat, nihilo secius peccaverunt; unde ait idem Apostolus *Rom. II. 12. Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Secundo quod ait, peccatum per mandatum operatum esse concupiscentiam, quasi, aut lex instrumentum peccandi fuerit, aut peccatum concupiscentiam pariat, et non potius concupiscentia peccatum; sicut et *Jacobus* Apostolus ait: *Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum Jac. I.* 15. Ergo.

℟. *Neg. ant. quoad 2m. part. Ad* 1m. Origenes quidem per legem, in eo Apostoli loco ipsam legem naturalem intelligendam putat, ita ut sensus sit, homines ante rationis aetatem, et usum, non cognoscere peccatum; at ubi primum rationis lumen ipsis illuxit, quo naturae legem cognoscere incipiunt, exardescere concupiscentiam, quae in vetitum nititur. Sed etsi concedamus, quod *Chrysostomus*, *Augustinus*, *Estius*, *Toletus*, *Grotius*, *Ammondus*, aliique existimant, quodque congruentius Apostoli proposito esse videtur, per legem intelligi eam, quae a Moyse promulgata est, non hinc efficitur, ante eam legem homines, quorum seipsum, veluti exemplum proponit Apostolus ita peccatum ignorasse, ut innoxii atque immunes a peccato essent cum invincibiliter ignorare non possent naturae legem, quae concupiscentiam vetat; ideoque merito ait Apostolus, eos sine lege et peccasse, et periisse. Sed eo sensu dicuntur ignorasse peccatum, quod, naturae lumine per peccatum imminuto, et veluti caligante, vel nesciebant, concupiscentiam, sine externo opere esse peccatum vel non ita perfecte peccatum cognoscebant, sicut postea ex lege, ejusque poenis, et comminationibus cognoverunt, vel multa nesciebant esse peccata, quae revera peccata erant, in quibus omnibus, cum vincibilis eorum ignoratio esset, a peccato, justaque poena nequaquam excusabat.

Digitized by Google

Ad 2m. Nomine peccati ipsam in corde latentem *habitualem* cupiditatem, sive concupiscentiam intelligit Apostolus; sicut et alibi passim iu eadem Epistola nomen illud usurpat, quia ex peccato orta est, et ad peccatum impellit, ipsius autem cupiditatis varios motus, appellat *omnem concupiscentiam*. Haec igitur ejus loci sententia est: Latebat ante legem in corde concupiscentia habitualis, et veluti sopita, non adeo ardens, atque effraenis erat. Sed occasione accepta per mandatum, hoc est mandato ipso irritata, varios *actualis* concupiscentiae motus operata est. Qui quidem motus, accedente voluntatis consensu, vera, et *formalia* peccata sunt, ideoque *Paulus* ait, peccatum operatum esse omnem concupiscentiam; *Jacobus* vero concupiscentiam, cum conceperit, parere peccatum; alter enim nomine peccati *habitualem* concupiscentiam, alter *formale* peccatum intelligit. Non igitur ait quod in *Objectione* positum est, peccatum lege, veluti instrumento, usum esse, nec ipsum *formale* peccatum parere concupiscentiam. Quamvis enim in Adamo concupiscentia peccatum non praecesserit, sed velut effectus consecuta sit, in ejus tamen posteris semper concupiscentia *formale* peccatum antevertit, licet aliquando ex peccato magis concupiscentia augeatur, et ad alia peccata soleat impellere. Vide *Estium*, *S. Thomam*, *Calmet in Comment.* etc.

Objic. CCXXI. *Rom, XI.* 32. Ait Apostolus: *Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Atqui in ea sententia duo contra rationem esse videntur. Primum quidem quod ait, Deum omnia, sive omnes in incredulitate, veluti carcere conclusisse, cum ipse nec incredulitatis, nec ullius peccati auctor esse possit. Alterum vero quod ait ideo omnes in incredulitate conclusisse, ut omnium misereretur: nonne enim major misericordia extitisset, si eos ab incredulitatis vitio sua gratia praeservasset? Ergo.

℟. *Neg. min. Ad* 1m. Missa *Grotii*, *Zegeri*, *Glassii*, aliorumque interpretatione, qui verba illa *conclusit in incredulitate* idem significare putant, ac si diceret: *redarguit omnes incredulitatis*, vel *ostendit*, *omnes in incredulitate conclusos esse*; missa, inquam, hac interpretatione, quamvis ab ea non longe *Chrysostomus*, ac

Theodoretus abhorreant, facile erit intelligere, Deum eo sensu in sacris Litteris excaecare, obdurare, in incredulitate concludere, quod justo judicio homines, in caecitatem, duritiam incredulitatem labi permittat, ut *Lib. VII. Cap.* 22. explicavimus. Sensus igitur Apostoli est; permisisse Deum ut omnia, sive (ut Graecus habet textus et plures legunt Patres Greci, Latinique) omnes in incredulitate sua, veluti carcere clauderentur, unde evadere ipsi sine gratia Dei, ac misericordia non possunt, ideoque non auctor, sed permissor incredulitatis eorum est. Quod autem ait *omnes*, non de singulis intelligendum est hominibus, ut recte observat *Estius*, sed generatim de utroque populo, tam Judaeorum, quam Gentilium, quos ibi educendos susceperat; hoc est permisit Deus, utrumque populum in incredulitate concludi quamvis non singuli increduli fuerint.

Ad 2m. Poterat quidem Deus omnes ab incredulitatis vitio praeservare, cur autem non fecerit, non nostrum est perscrutari; unde in sequenti versiculo exclamat Apostolus: *O altitudo divitiarum sapientiae, et scentiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus! Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in saecula. Amen.* Quantum tamen nobis licet ex iis, quae alias divinitus revelata sunt, Dei consilia, atque judicia enarrare, possumus utique respondere, ad superbiam hominum frangendam, atque ad humilitatem fovendam, quae caelestium omnium donorum fundamentum est, melius judicasse Deum incredulitatem permittere, quam ab ea omnes servare, ut qui gloriatur, in Domino glorietur.

Objic. CCXXII. *Rom. XII.* 20. Praecipiens Apostolus ab ultione injuriarum abstinere, cum omnem malorum vindictam sibi Deus reservaverit, subdit: *Sed si esurierit inimicus tuus ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus.* Atqui hac in re videtur Apostolus contrarium charitati praeceptum insinuare fidelibus. Congerere enim carbones ignis super inimici caput est eum graviori poenae obnoxium facere. Benefacere autem alicui eo consilio, ut

graviora in caput ejus mala congerantur, contra legem charitatis est. Christus enim in Evangelio praecipit, ita benefaciendum inimicis, ut pro iis etiam oremus Deum. Ergo.

℞. *Neg. min.* Congerere enim carbones ignis super inimicum caput, quae sine dubio figurata locutio est[1], duplicem habere sententiam potest. Primum quidem accipi potest in deteriorem patrem, hoc est majora ma'a in caput inimici congerere : deinde in meliorem, hoc est per ipsa beneficia excitare in eo doloris sensum, flammamque charitatis, ut qui prius inimicus erat, beneficiis incensus ad redamandum compellatur. Hanc posteriorem sententiam *Hieronymus*, *Augustinus*, aliique Patres in hoc Apostoli loco explicando secuti sunt. *Carbones igitur*, inquit Hieronymus *Lib. I. cont. Pelag. congregabis super caput ejus, non in maledictum, et condemnationem, ut plerique existimant, sed in correctionem, et poenitudinem, ut superatus beneficiis, excoctus fervore charitatis inimicus esse desistat.* Et Augustinus *Lib. III. De doct. Christ. cap.* 16. *Hoc*, inquit, *cum possit dupliciter intelligi, uno modo ad nocendum, altero ad praestandum: ad beneficentiam te potius charitas revocet, ut intelligas carbones ignis esse arentes poenitentiae gemitus, quibus superbia sanatur ejus, qui dolet, se inimicum fuisse hominis, a quo ejus miseriae subvenitur.* Quod et aliis in locis passim inculcat.

Sed quia nonnulli Patres, praesertim Graeci, *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Theophylactus* priorem sententiam secuti, per *carbones ignis* graviora in caput inimici congesta mala intellexerunt; quomodo hoc etiam sensu verba Apostoli contra legem charitatis, et praecepta Christi non pugnent, explicare operae pretium est. Primo igitur animadvertendum est, aliud esse, si quis alteri benefaciat eo consilio, ut majora ei mala accidant; aliud si benefaciat, quamvis futurum praevideat, ut alter inde majoris mali sua culpa occasionem accipiat. Primum illud semper contrarium charitati est; nec Patres illi, qui per *carbones ignis* majora mala intellexerunt, ideo benefaciendum inimicis docent, ut graviores ipsis eveniant calamitates Sed charitatis officium est benefacere

inimicis, ut et in nobis odii scintillas extinguamus, et ipsi beneficiis superati resipiscant; etsi pro humanae pervicaciae vitio aliquando contra accidat, ut pejores fiant. Dixerat autem paulo ante Apostolus: *Non vosmetipsos defendentes* (hoc est ulciscentes) *charissimi, sed date locum irae; scriptum est enim: mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.* Tum subdit: *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi.* Sed quia opponi poterat, his beneficiis nonnullos non modo non resipiscere, sed pejores fieri; hanc objectionem occupans Apostolus ait, inimicos, nisi beneficiis victi resipiscant, non propterea Dei vindictam, de qua paulo ante dixerat, evasuros, quin etiam graviores pervicaciae suae daturos poenas.

Una hic videri posset remanere difficultas, quo pacto Apostolus eos, qui ab inimicis vexati fuerint, consoletur, et quodammodo gaudere doceat; propter imminentem illis Dei vindictam, cum numquam de inimici malis laetari liceat, imo potius ab ipsis iram Dei precibus avertere debeamus. Verum hoc facile expeditu est. Quamvis enim de Dei vindicta, ut est inimici malum, gaudere non liceat, imo malum illud quantum possumus precibus nostris avertere debeamus; tamen si illi in malo obfirmati resipiscere nolint, de eadem vindicta quatenus ad Dei gloriam, ejusque justitiam commendandam pertinet, laetari, non est charitati contrarium. Hinc ait Psalmista *Psal. LXII Laetabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Et in Apocalypsi *Cap. VI.* 10. clamant justi: *Usquequo, Domine, sanctus, et verus non judicas; et non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? Neque haec*, ut inquit Estius, *adversantur charitati, et Christi praecepto, quo jubemur orare pro persequentibus nos. Sancti enim, quorum ordinata est charitas, utrumque faciunt, dum et orant Deum pro conversione impiorum, et nihilominus vindicari eorum peccata desiderant, nisi poenitentiam agant. Siquidem* justum est apud Deum, *ait Apostolus II. Thessal.* 1. retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant. *Quam Dei justitiam amant, et exerceri desiderant illi, quorum voluntas voluntati divinae conformis est.*

Objic. CCXXIII. *Rom.* XII. 19. Prohibet Paulus omnem defensionem. *Non vosmetipsos*, inquit, *defendentes, sed date locum irae.* Atqui defensio ex jure naturali descendit, eaque ipse *Paulus* usu est, *Caesarem* ipsum appellans. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Quod enim ait: *Non vosmetipsos defendentes*, non defensionem prohibet, sed vindictam, quo sensu verbum illud usurpatur etiam in scripturis, unde dicitur *Judith* I. 12. Nabuchodonosor jurasse, *quod defenderet se*, idest ulcisceretur.

Objic. CCXXIV. *Rom.* IV. 20. *De Abrahamo* dicitur. *In repromissione Dei non haesitavit diffidentia*; et tamen *Genes.* XVII. 17. cum Angelus nasciturum *Isaac Abrahamo* promisit: *Risit Abraham, dicens in corde suo: putasne centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet?* Ergo.

℟. *Dist. ant. quoad 2m. part.* Risit Abraham ex incredulitate, *neg.* Ex gaudio novae, atque inexpectatae, et pene mirabilis praeter naturam promissionis, *conc.* Ita difficultas evanescit; atque ideo paraphrasis *Onkelos* verba Genesis, *Risit Abraham*, vertit: *Gavisus est.* Unde Augustinus *Lib. XVI. De Civ. Cap.* 26. *Exultatio*, inquit, *gratulantis, non irrisio diffidentis*: quam sententiam sequitur etiam Ambrosius *Lib. I. de Abraham. Cap.* 4. Sed quia Chrysostomus *Hom.* XL. *in Genes.* et Hieronymus *Lib. III. cont. Pelag.* in illis verbis *Geneseos* aliquam in *Abraham* dubitationem notant, ideo respondendum est, etiamsi demus, aliquantulum *Abraham* titubasse, non inde fieri ut falsa sit Apostoli sententia, quia licet principio veniali aliqua culpa haesitaverit, tamen *confirmatus est fide, dans gloriam Deo.*

Objic. CCXXV. Videtur Apostolus memoria lapsus in I. *Cor. X.* 8. scribens: *Neque fornicemur, sicut quidam eorum fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti-tria millia*, cum constet ex *Num.* XXV. 9. cecidisse vigintiquatuor millia. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Primo enim advertendum est, Apostolum de iis locutum esse, qui *una die ceciderunt*; Moysen vero de omnibus qui propter peccatum occisi sunt; quorum interfectio pluribus diebus durare potuit. Deinde, ut observant *Estius, Catharinus, Grotius Ligfootus*,

Moyses omnes illos recenset, qui vel plaga divinitus immissa ceciderunt, vel jussu Moysis suspendio necati, vel a Phinees gladio interfecti sunt; Apostolus vero eos tantum, qui mirabiliter cita morte correpti, atque absumti sunt. Denique responderi potest, occisorum numerum fuisse plusquam vigiuti tria millia, minus autem quam vigintiquatuor, ideoque Paulum *rotundum* numerum vigintitriamillia posuisse, Moysen vero vigintiquatuor millia.

Objic. CCXXVI. In eadem *Epist. I. ad Cor.* X. 33. scribit Apostolus: *Sicut et ego per omnia omnibus placeo.* Quod tamen negat in Epistola *ad Galatas* I. 10. *An quaero*, inquit *hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Et certe, qui omnibus placere studet, cum diversa, imo et contraria sint hominum ingenia, ac mores; callida dissimulatione utatur necesse est; et multa contra veritatem, atque conscientiam faciat. Ergo.

℟. *Neg. ant. quoad* 2m. *part:* scilicet, Apostolum in Epistola ad *Galatas* id negare, quod in Epistola ad *Corinthios* affirmaverat. Diversus enim utriusque loci scopus, quomodo inter se ista non pugnent, perspicue ostendit. In Epistola quippe ad *Corinthios* omnia illa, in quibus Apostolus omnibus se placere scribit, ea sunt, de quibus paulo ante dixerat: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant.* Qualis erat praecipue quorumdam ciborum usus, qui quamvis licitus, scandalum tamen infirmioribus poterat ingerere. Ideo monet Apostolus, ut iis in rebus, quae *adiaphorae* suut, quaeque et bene, et male fieri possunt ne cuiquam molestiae, aut offensioni, aut scandalo simus, ac nosmetipsos accomodare ingenio hominum quibuscum vivimus studeamus. Quod et in sequentibus verbis clarius explicat, dicens: *per omnia omnibus placeo, non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Idque etiam in superiori Capite *IX.* ejusdem epistolae scripserat: *Factus sum omnibus omnia, ut omnes facerem salvos.*

At in Epistola ad *Galatas* non de rebus *adiaphoris* loquitur, sed de iis, quae ad veritatem Evangelii pertinebant, eoque sensu negat, se hominibus placere,

quod nequaquam, posthabita veritate, studeret placere iis, qui carnis voluptatibus servientes, contrariam Evangelio doctrinam praedicari sibi voluissent; quales erant, qui apud *Isaiam* XXX. 10. dicebant: *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Certe qui ejusmodi hominibus, neglecta veritate, placere satagit, Christi servus esse non potest, ideoque ait propheta *Psalm.* LII. *Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Ait igitur Apostolus, iis in rebus, quae salva fide, atque Evangelii veritate, fieri possunt seipsum imbecillitati hominum accommodasse; at ubi de veritate doctrinae, ac de rebus ad salutem necessariis agebatur non hominibus, sed Deo placere studuisse. Vide *Estium*, *S. Thomam*, *Calmet*, etc. in *Commentariis* ad utrumque Apostoli locum.

Objic. CCXXVII. I. *Cor.* XIII. 7. Idem Apostolus ad charitatem pertinere docet, ut omnia credamus: *Charitas omnia credit.* Atqui hoc veluti vitium in aliis Scripturarum locis reprehenditur. *Eccli.* XIX. 4. *Qui credit cito levis est corde.* I. *Joan.* IV. 1. *Nolite omni spiritui credere. Ergo.*

℟. *Dist. maj.* Ut omnia credamus, quae divinitus revelata sunt, *conc.* Omnia, quae dicuntur ab hominibus, *neg.* Unde Augustinus *Lib. De Spir. et lit. Cap.* 32. *Ipsa*, inquit, *charitas, quae omnia credit, non omni spiritui credit; ac per hoc omnia quidem credit, sed Deo, quia non dictum est: omnibus credit.*

Objic. CCXXVIII. *I. Cor. XV.* 20. Ait Apostolus: *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium.* Falsum igitur esse videtur, *Eliam*, *Elisaeum*, ipsumque Christum ante mortem suam alios a morte resuscitasse; aut si hoc verum est, falsum videtur, Christum ipsum esse *primitias dormientium*, sive, ut alibi ait Apostolus, *primogenitum mortuorum.* Falsum item quod ait *Matthaeus* XXVII. 52. *Et monumenta aperta sunt* (Christo moriente) *et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*; qui utique non secus ac Christus, non ad mortalem, sed ad immortalem vitam resurrexerant.

℟. *Neg. cons.* Quod enim ad eos pertinet, qui ab *Elia*, *Elisaeo*, ipsoque Christo ad vitam revocati sunt,

cum non ad vitam immortalem, ut Christus, resurrexerint, nihil est cur Christus eis comparatus dici non possit primitiae dormientium, et primogenitus mortuorum. Quod vero ad eos, qui Christo moriente, resurrexerunt ad immortalem vitam, non ait *Matthaeus*, eos ipsa die, qua Christus est mortuus resurrexisse; imo satis innuit, id post ejus resurrectionem factum esse. Ait enim: *Et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis* Aperta igitur sunt eo momento, quo Christus expiravit, monumenta sanctorum, sed non statim eos resurrexisse constat, probabiliter quidem ex ipsis *Matthaei* verbis, perspicue vero ex verbis Apostoli, qui Christum esse dicens primitias dormientium, aperte demonstrat, alios nonnisi post ejus resurrectionem resurrexisse.

Objic. CCXXIX. In Epistola II. *ad. Cor. I.* 8. ait idem Apostolus: *Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quae facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem; ita ut taederet nos etiam vivere.* Atqui in ea sententia duo sunt, in quibus sibimetipse videtur esse contrarius. Primum quidem quod ait, *supra virtutem gravati sumus*, adversatur iis, quae I. *Cor.* X. 13. scripserat: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Deinde quod addit: *ita ut taederet nos etiam vivere*, non videtur iis esse consentaneum, quae scripserat ad Romanos XIV. 7. *Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Ergo.

℟. *Neg. min. Ad* 1m. Ait Apostolus in priore Epistola *ad Corinthios*, non passurum esse Deum, ut justi, ac praesertim electi, supra id quod possunt tententur: sed si quam vehementiorem tentationem permittat, quae ordinarias vires superet, facturum etiam esse proventum, hoc est suffecturum majores gratiae vires, ut possint sustinere. In altera vero hac Epistola ait, se gravatum quidem fuisse supra virtutem, idest vel supra vires naturales, ut explicat *Calmetus*, vel supra ordinarias gratiae vires,

non negat tamen se fuisse tunc potentiore Dei auxilio roboratum quo graviorem illam sive calamitatem, sive tentationem (non enim expresse eam tentationem vocat) superaret. *Ad* 2m. Perfecta illa voluntatis dispositio, qua totam animus sui curam *super Dominum jactat*, ut nihil jam ei curae sit, sive vivat, sive moriatur, totumq. Deo committit, cui et vivere, et mori paratus est, perfecta, inquam, illa dispositio non impedit, quo minus in magnis animi perturbationibus, aut calamitatibus taedium vitae inferioribus potentiis subrepat; quod et ipse *Job.* expertus est *Job. X.* 1. *Taedet*, inquit, *animam meam vitae meae.* Elias etiam *III. Reg. XIX.* 4. *petivit animae suae, ut moreretur et ait: Sufficit, Domine, tolle animam meam; neque enim melior sum, quam patres mei.* Imo etiam in superiori voluntatis parte potest esse votum mortis, ex recto fine, ac debita conditione laudabile. Vide Cyprianum in Libro *De mortalitate*, et Ambrosium *De bono mortis.*

Objic. CCXXX. II. *Cor.* IV. 4. ait Apostolus: *Deus hujus saeculi excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriae Christi.* Ait ergo, diabolum esse Deum hujus saeculi; vel ut alibi eum appellat *principem potestatis aëris hujus*; quod ad Manichaeismum videtur pertinere, Deoque injuriosum esse, cum mundus universus non diabolo, sed Deo subjectus sit, ejusque providentia regatur.

℟. *Neg. cons. quoad* 2m. *part. Transeat cons. quoad* 1m. *part. Transeat*, inquam, consequentia quoad primam partem; scilicet diabolum hic ab Apostolo Deum hujus saeculi appellari. Advertendum enim est; *Chrysostomum*, Graecosque interpretes fere omnes laudata Apostoli verba, quibus Marcionistae, et Manichaei abutebantur, tamquam per figuram *hyperbaton* perturbato ordine posita, ita digerere, atque explicare: *Deus excaecavit oculos infidelium hujus saeculi*: excaecavit, inquam, lumen caelestis, atque efficacis gratiae negans, sicut et alibi in sacris litteris corda hominum impiorum obdurare dicitur. Hanc sententiam, distinctionemque verborum etiam Latini Patres non pauci, nec ignobiles secuti sunt, Tertullianus *Lib. V. cont. Marcion.* Irenaeus *Lib.* III. *et* IV. *cont. haeres.* Augustinus *Lib.* XX.

Digitized by Google

cont. Faustum, Primasius, Sedulius, aliique. Quae interpretatio, si vera est, patet, Dei nomine non Diabolum sed verum Deum fuisse ab Apostolo significatum.

Sed si cui forte ea verborum Apostoli interpretatio quasi coacta, atque affectata non placeat, et omnino ita legendum atque intelligendum putet: *Deus hujus saeculi*, non desunt quidem inter veteres interpretes, qui docent, *Deum hujus saeculi* non diabolum, sed Deum ipsum fuisse ab Apostolo appellatum, utpote rerum omnium visibilium, atque invisibilium, praesentium, et futurarum conditorem, ac dominum. Quam sententiam referunt, nec imbrobant, licet non sequantur, *Chrysostomus*, *Theophylactus*, et *Oecumenius*. Haec tamen nobis sequenda non videtur interpretatio; tum quia nihil erat caussae, cur verus Deus, qui rerum omnium Deus est, ac Dominus, ab Apostolo *Deus hujus saeculi* diceretur; quod nusquam alibi in sacris litteris factum legimus; tum quia *hoc saeculum* semper in Scripturis deteriori sensu intelligitur de saeculo nequam, vel de omnibus mundi amatoribus, sicut *Rom.* XII. 2. *Nolite conformari huic saeculo*. II. Tim. IV. 9. *Demas me reliquit*, *diligens hoc saeculum*. Galat. I. 4. *Ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam*.

Quapropter demus quod in priori consequentiae parte positum est, Deus hujus saeculi hic ab Apostolo ipsum appellatum esse diabolum; quod etiam dici posse concedit *Augustinus*, *Tertullianus*, aliique veteres, imo *S. Thomas* ita prorsus dicendum putat *I. P. Q.* LXV. *art.* I.; non inde tamen efficitur, ut vera sit altera pars, scilicet hoc ad Manichaeismum pertinere, Deoque esse injuriosum. Etenim primo per *hoc saeculum* intelligi possunt, ut idem advertit *Augustinus*, homines impii qui hoc saeculo frui, in eoque excellere, ac florere volunt, quorum diabolus Deus dicitur, vel quia suis ipsi cupiditatibus veluti ligati, diabolo subjecti sunt, vel quia, ut observat *Cyrillus*, revera diabolus a Gentilibus tamquam Deus habebatur, et colebatur. Deinde etsi per *hoc saeculum* mundum hunc inferiorem intelligas, recte diabolus *Deus hujus saeculi*; *princeps potestatis aëris hujus*; *princeps hujus mundi*; *mundi rector tenebrarum harum* in sacris litteris appellatur, non quia id aut natura sua postulet,

aut sua virtute, ac potestate adeptus sit, sed quia justo Dei judicio data ei potestas est (a divino tamen nutu, atque arbitrio pendens) hominibus, quos per peccatum sibi subegerat, per hujus mundi elementa nocendi. Hinc Apostolus Rom. VIII. 19. ait: *Nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe. Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* Et Ephes. VI. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus.* Vide Estii *Commentaria* in haec Apostoli loca.

Inst. Absurdum videtur, Deum fecisse diabolo, quem aeterna poena damnaverat, nocendi hominibus potestatem. Cum enim ille invidia ardeat, vehementer hac nocendi potestate gaudet; et major utique ejus fuisset poena, si nihil hominibus, quibus invidebat, nocere potuisset. Adhaec, videbat Deus, quot hominum centena millia diabolus per eam nocendi potentiam in aeternum impulsurus erat exitium. Abhorret igitur a divina justitia, sapientia, ac bonitate, diabolum esse, vel Deum hujus saeculi vel principem hujus mundi; magisque erit divinae sapientiae consentaneum, si dicamus, diabolum in ea fuisse loca detrusum, ubi nulli nocere possit.

℟. *Neg. ant.* Cur Deus hominem, quem lapsurum praevidebat, tentari permiserit, ad inscrutabilia Dei judicia pertinet, atque ad altitudinem divitiarum sapientiae, et scientiae Dei, ut *Lib. V. part. 4.* diximus. Illud tamen certum est, tantam homini dedisse Deum animi fortitudinem, sapientiam, gratiam, tamque levem fuisse tentationem, ut mirabilius sit, hominem ei consensisse, quam Deum permisisse. Igitur ante hominis peccatum nemini diabolus nocere poterat, nisi id sponte sua homo ipse voluisset. At postquam ille voluntarie diabolo consensit, non est mirum, quod Deus diabolum ipsum in eum saevire, permiserit. Justum enim erat, ut cui homo servire, neglecto Deo suo, amaverat, ab eo durissime torqueretur. Neque vero inde diabolo aut poena minuitur, aut gaudium accedit, qui aeternis addictus cruciati-

bus, atque a Deo in perpetuum aversus, non solum nullius laetitiae capax est, verum etiam in omnibus suis actibus peccans, novum inde semper accipit desperationis argumentum.

Objic. CCXXXI. In Epistola *ad Galatas Cap.* I. ait Apostolus, se *non ab hominibus*, *neque per homines* electum esse Apostolum, sed per Jesum Christum, a quo Evangelium per revelationem se accepisse dicit. Et tamen *Cap.* II. 2. ait: *Ascendi autem* (Jerosolymam) *per revelationem*, *et contuli cum illis Evangelium*, *quod praedicò in gentibus*, *seorsùm autem iis*, *qui videbantur aliquid esse*, *ne forte in vacuum currerem*, *aut cucurrissem*. Dubitabat ergo, an Evangelium, quod a Christo acceperat verum esset.

℟. *Neg. cons.* In vacuum enim currere idem ibi est, ac inutiliter laborare. Cum enim nonnulli doctrinam *Pauli*, quasi aliorum Apostolorum doctrinae contrariam traducerent; idem ipse Deus, qui et Evangelium revelaverat, impulit, ut Jerosolymam veniens Evangelium cum ceteris Apostolis conferret; ne forte aliquis ejus doctrinae calumniam inferre, et inutilem praedicationem reddere moliretur. *Ipse Paulus Apostolus*, inquit Augustinus *Lib.* XXVIII. *cont. Faust. cap.* 4. *post ascensionem Domini de coelo vocatus*, *si non inveniret in carne Apostolos*, *quibus communicando*, *et cum quibus conferendo Evangelium*, *ejusdem societatis esse appareret*, *Ecclesia illi omnino non crederet*.

Objic. CCXXXII. Saepe Apostolus tum in Epistola ad *Galatas*, tum alibi Mosaicam legem deprimit, nulliusque momenti esse scribit, nec solum saluti inutilem, verum etiam noxiam. Sic *Galat.* III. 10. *Quicumque*, inquit, *ex operibus legis sunt*; *sub maledicto sunt* ... *In lege*, *nemo justificatur apud Deum* .... *Lex non est ex fide*, ejusque ritus, ac ceremonias *infirma*, *et egena elementa appellat*. Addit etiam *Galat. V.* 3. *Si circumcidamini*, *Christus nihil vobis proderit*; ita ut non solum inutilis, verum etiam noxia videri debeat circumcisio a Deo olim *Abrahae* praecepta, atque a Moyse confirmata. Quibus similia habet in Epistola ad Colossenses *Colos.* II. 20. *Quid adhuc* .... *decernitis*: *ne tetigeritis*, *neque gustaveritis*, *neque contrectaveritis*, *quae sunt omnia in interitum ipso usu?* Et I. *Tim.* VI.

ait, *doctrinam esse daemoniorum abstinere a cibis, quae Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona est.* Quibus verbis Mosaicam legem, quae a multis cibis abstinere jubebat, veluti superstitiosam traducere videtur. Atqui haec quomodo cum aliis sacrarum Scripturarum locis, imo et cum Apostoli ipsius doctrina conciliari possunt? Quod enim ait; omnes, qui ex operibus legis sunt, sub maledicto esse, non videtur Mosaicae legi consentaneum; quae licet maledictos esse dicat, qui non permanserint in iis, quae in Lege scripta sunt; iis tamen, qui eam servaverint, omnes, quae optari possunt, benedictiones pollicetur *Deuteron.* XXVIII. *et alibi.* Rursus quod ait, in lege neminem justificari, quomodo cum iis cohaeret, quae ipse *Paulus* scripsit ad Romanos *Rom.* II. 13. *Factores legis justificabuntur?* Denique quo tandem pacto legis ceremonias infirma, egena, aut noxia elementa dicere Apostolus poterat, cum ipse *Timotheum* circumciderit, et ad eum scripserit I. *Tim.* I. 8. *Scimus, quia bona est lex, si quis ea legitime utatur?* Ergo.

℟. *Dist. maj.* Apostolus Mosaicam legem inutilem esse ait sine fide, et gratia Christi, imo et noxiam, si quis eam sine fide, et gratia Christi ad salutem sufficere, vel omnino necessariam esse, praedicaret, *conc.* Secus, *neg.* Lex quidem a Deo lata nonnisi bona esse poterat, si quis ea legitime uteretur, hoc est, illam eodem spiritu servaret, quo a Deo lata est, scilicet ante Christi adventum ex fide, et gratia Christi venturi; post Christi mortem vero, ut non amplius necessariam, sed tamen nondum malam, ante sufficientem Evangelii praedicationem, ut *Lib.* IX. *Cap.* 10. diximus. Erat enim lex veluti paedagogus, qui homines ad Christum duceret, a quo uno justitia per fidem in homines manare poterat; ideoque ipsa per se lex, sine fide in Christum infirma, egena, justificare neminem poterat, imo nec servari sine gratia Christi. Ex quo fiebat, ut qui legem sine fide, et gratia servare se posse existimaret, et ex operibus legis justitiam comparare, is sine dubio sub maledicto legis esset. Quamvis enim lex benedictionem potius iis, qui eam servassent, polliceretur; tamen cum

nemo eam sine fide, et gratia servaverit umquam, nec servare potuerit, consequens erat, ut qui legem sine fide, et gratia Christi servare vellet, generali illi legis maledicto subjectus esset, quo dicitur: *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in Libro legis, ut faciat ea Deutoron.* XXVII. 26. *Galat.* III. 10. Atque hac ratione intelligimus, quo sensu dixerit Apostolus: *Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Item; *si circumcidamini*, putantes, necessarium esse post Christi mortem legis usum, aut eam ad salutem sufficere, ut quidam Pseudo-Apostoli praedicabant, *Christus nihil vobis proderit.* Et tamen si quis legis ceremonias, ipsamque circumcisionem servaret, non ut necessariam, sed ut nondum malam, quo spiritu *Paulus Timotheum* circumcidit, aliisque usus est legis ceremoniis; is non reprehendendus, sed laudandus esset. Denique hinc etiam intelligimus, quomodo lex infirma, et egena dicatur, in qua nemo justificari posset; et tamen factores legis justificentur. Illi enim factores legis fuerunt, qui illam ex fide, et gratia Christi servarunt; quorum justificatio non ex ipsa lege, sed ex gratia Dei per fidem profecta est, quae per charitatem operatur, ideoque ait Apostolus scribens ad Philippenses II. 8. *Propter quem* (Christum) *omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed eam, quae ex fide est Christi Jesu.* Atque ita conciliari facile possunt, quae in speciem pugnare videntur testimonia Scripturarum. Ceterum quod ait Apostolus I. *Tim.* IV. ad haereticos illos referri debet, qui quaedam tamquam a malo principio producta prohibebant; ut ex toto contextu patet, ideoque mirum non est, si Paulus eam *doctrinam daemoniorum* appellet.

Objic. CCXXXIII. *Ad Galat.* IV. 25. ait Apostolus: *Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quae nunc est Jerusalem.* Atqui haec manifesta locorum ignoratio est, cum mons *Sinai* longissimo ab Jerusalem distet intervallo. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Mons *Sinai* conjunctus est Jerusalem, mystice; sive ei *similis est*, ut habet Graeci textus sententia, *conc.* Conjunctus est physice, *neg.* Cum enim

ipse Apostolus expresse dicat montem *Sinai* esse in Arabia, quis, nisi stultissimus opinabitur, id sibi voluisse Apostolum, quod in objectione ponitur, scilicet montem *Sinai* Jerosolymae vicinum esse? Sensus ergo est, sicut in Monte *Sinai* lata est lex servilis, ita ea, quae nunc est Jerusalem, eandem legem tradit, quae in servitutem generat.

Objic. CCXXXIV. I. *Tim.* II., 2. Apostolus mulieres docere vetat: *Docere mulieri non permitto.* At idem *Tit.* II. 3. vult *anus prudentiam docere adolescentulas.* Ergo sibi videtur contrarius.

℟. *Neg. cons.* Mulieri enim docere non permittit Apostolus, primum publice, et in Ecclesia I. *Cor.* XIV. 34. *Mulieres in Ecclesia sileant.* Secundo etiam domi non permittit docere viros suos, sed illis esse subditas, ut habet sermonis series in I. *Tim.* II. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, nec dominari in virum, sed esse in silentio etc.*

Objic. CCXXXV. In prima Petri Epistola III. 19. sic Petrus scribit: *In quo et his, qui in carcere erant spiritibus praedicavit* (Christus) *qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca.* Atqui frustra praedicatio adhibetur damnatis hominibus, nisi dicere velis, etiam nonnullos damnatos Christi praedicatione liberari potuisse. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Verba enim illa duo; *in quo*, cum superioribus connexa sunt: *mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo et his, qui in carcere erant etc.* Ait igitur, Christum in Spiritu praedicasse iis, qui in carcere erant, spiritibus, ideoque duplicem habere ea verba sensum possunt, prout nomen Spiritus vel de Spiritu Sancto intelligitur, vel de anima Christi, quae ad inferos post ejus mortem descendit. Hinc nonnulli Patres ea verba de Spiritu Sancto interpretati, ita *Petri* sententiam explicant; Christum omnibus saeculis in Spiritu Sancto hominibus praedicasse; propterea quod Prophetae omnes, sanctique viri, qui hominibus Verbum Dei annuntiabant a Spiritu Sancto movebantur; ideoque Christus ipse, sive Dei Verbum per Prophetas

illos in Spiritu S. loquebatur. Igitur etiam ante diluvium Christus in Spiritu S. per *Noe* praedicavit hominibus. Non enim fieri potuit, ut *Noe* de imminenti diluvio divinitus commonefactus, eam rem homines celaret cum praesertim ipsa arcae fabricatio continua praedicatio futurae calamitatis esset, ut homines poenitentiam agerent. Sed illi increduli in praedicatione *Noe* permanentes omnes, excepta una *Noe* familia, perierunt. Dicuntur autem homines illi *Spiritus in carcere*, vel quia eorum animae in corpore tunc manentes velut caeco quodam carcere detinebantur, carnisque voluptatibus obrutae lumen veritatis non accipiebant, vel quia licet tunc cum *Noe* praedicaret, in corpore essent, cum tamen *Petrus* scribebat, revera in carcere inferno erant. Vide *Augustinum Epist.* CLXIV. *al.* XCIX. *Bedam*, *S. Thomam*, et inter heterodoxos *Bezam Junium*, *Piscatorem etc.*

Sed alii nomine Spiritus ipsam Christi animam, quae ad inferos descendit, intelligentes, docent, Christum in inferis non solum Patriarchis, Prophetis, aliisque viris eximia sanctitate illustribus attulisse lumen, eosque ex inferno carcere, sive *Limbo*, in quo detinebantur, liberasse, verum etiam iis utcumque paucis, qui licet increduli fuerint, dum fabricaretur arca; tamen ingruente diluvio, cum divinae praedictionis veritatem tristi experientia comperissent, poenitentiam egerunt; ideoque quamvis eorum corpora perierint, animae tamen salutem consecutae cum ceteris sanctis in *Limbo* redemptionem expectabant; non enim credibile est, inquiunt, inter tot centena hominum millia neminem, irruentibus diluvii aquis, poenitentiam egisse. Vide *Hieronymum in Quaest. Hebraic.* Calmet *in Comment.* Dupinum *Dissert. X. in Apocalyps. Estium*, *Tirinum*, *Menochium*, *Cornelium a Lapide* etc.

Objic. CCXXXVI. Sunt nonnulla in Scripturis quae Spiritus S. majestatem non decent, et ab ipsis sacris auctoribus humano ingenio, et consilio posita sunt. Tales sunt locutiones quaedam dubiae, ut *quasi mensibus tribus* Luc. I. 36. *Quasi annorum triginta Luc.* III. 23. Tale etiam est, quod ait Apostolus II. *Tim.* IV. 13. *Penulam, quam reliqui Troade veniens affer tecum, et*

libros, maxime autem membranas. Item quod scribit ad Corinthios. I. *Cor.* VII. 12. *Ceteris ego dico, non Dominus.* Et II. Cor. XI. 17 *Quod loquor, non secundum Deum loquor . . . In quo quis audet, in insipientia dico, audeo et ego.* Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad* 1m. Particula *quasi* non dubitantis est, sed asserentis rem circa illud tempus accidisse: quod Spiritus S. praecisse designare noluit, ut esset etiam in hoc silentio necessarium nobis documentum, ne in rebus ad salutem minime necessariis effraeni curiositati serviamus. *Ad* 2m. Ea etiam Pauli verba valde utile habent documentum, ut Evangelii ministri exemplo tanti Apostoli videant, debere se humanas infirmitates, humanis etiam adjumentis, quando opus est, sublevare, et lectioni, a scriptioni dare operam. *Ad* 3m. Verbis illis: *Ego dico, non Dominus*, ostendere voluit Paulus, non se Dei praeceptum tradere, sed consilium, ad quod tamen suggerendum a Spiritu S. movebatur. *Ad* 4m. Quod scribit Apostolus, *non secundum Deum, et in insipientia* se locutum, in eo nihil aliud sibi voluit, nisi in laudibus suis proferendis imitatum se esse morem insipientium, licet ad id necessitate coactus, Deoque inspirante, motus fuerit ad coërcendam Pseudo-apostolorum petulantiam

Objic. CCXXXVII. Cum profano auctore *Litterarum Persicarum* (*a*). Scriptura universa liber est, qui in quamcumque sententiam trahi potest, ut patet ex tot interpretum voluminibus, qui integras, easque amplissimas implent Bibliothecas; nec ullus unquam extitit haereticus, qui pro suo dogmate Scripturam non proferret; ita ut videatur Scriptura obscurum, et ambiguum volumen, ubi quivis quod vult inveniat. Non potuit ergo esse a Deo ad erudiendos homines inspirata.

℟. *Neg. ant.* In rebus enim ad salutem necessariis vel est ipsa per se clarissima Scripturarum locutio,

---

(a) *Lettres Persanes.*

vel nobis demonstrat interpretem, Ecclesiam scilicet Catholicam, quae in ea interpretanda falli nequit, a cujus sententia interpretes omnes, si Catholici sunt, non recesserunt; licet vel ad eruditionem, vel ad majorem rerum perspicuitatem multa ediderint volumina. Ab hac regula recedentes haeretici, mirum non est, si falso Scripturam ad suam sententiam trahere conati sint. In rebus autem ad salutem non necessariis, ut in chronologia, geographia, in nominibus plantarum, aut animalium, aliisque ejusdem generis, si illa est propter temporum antiquitatem obscurior, non obstat id ejus veritati; sed sapientiam Dei demonstrat, qui rebus perspicuis animos nostros erudire, obscuris exercere diligentiam voluit, fovere humilitatem, retundere curiositatem.

Alias autem objectiones ex iis locis, quae contra fidei dogmata pugnare videntur, atque ab haereticis passim usurpata sunt, in ipsis institutionibus explicavimus loco suo, ubi dogmata illa defendimus; quale est illud ab Arianis frequenter objectum: *Pater major me est*; item illud a Lutheranis: *Arbitramur, justificari hominem per fidem, sine operibus*; et quae sunt ejusdem generis (a).

Corollarium.

Concludamus igitur cum Augustino *Epist. LXXXII. al. XIX. Eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse, firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod scriptum est, vel me minime intellexisse, non ambigam.*

(a) Vide haec omnia fusius apud eum, quem saepe laudavimus, Bulletum *Reponses critiques a plusieurs difficultes preposées par les noveaux incredules contre les livres saints*. et D. Du-Clot in *Biblia vindicata*.

§. IV.

De Canone Scripturarum Catholico.

Adv. Haec, quae hucusque refutavimus argumenta, contra eos libros intorquentur ab adversariis, qui a Catholicis pariter, et haereticis, in Canone recensentur. Nunc ea etiam refellenda sunt, quae ab haereticis contra eos libros objiciuntur, quos ipsi e Canone, ut §. 1. diximus, expunxerunt.

PROPOSITIO.

Verus est, ac legitimus Canon Scripturarum a Catholicis receptus. Est dogma fidei.

Prob. Quamvis haeretici traditionem rejiciant, fateri tamen denique coacti sunt, non aliunde cognosci posse, librum aliquem esse divinum, atque Canonicum, nisi ex traditione, ut *Lib. II. Cap. 2.* ex *Brentii*, et *Kemnitii* confessione evicimus; eosq. ipsos libros, quos Canonicos habent sive Judaei, sive haeretici, nonnisi ex traditione acceperunt. Atqui ex traditione satis constat, libros omnes Scripturarum, quos in Canone habent Catolici, divinos esse, et vere canonicos.

Etenim I. Innocentius I. *Epist.* III. *ad Exuper.* Concilium Carthaginense III. Augustinus *Lib. I. De doct. Christ. Cap.* 8. Gelasius Papa in *Decreto* Concilii Romani, Cassiodorus *Lib. Divin. Instit. Cap.* 13. Isidorus Hispalensis *Lib. VI. Originum*, et *Lib. Proemiorum*, canonem Scripturarum recensent, qualem hodie Catholici habent, nisi quod librum *Baruch*, qui scriba *Jeremiae* fuit, nonnulli, ut *Augustinus loc. cit.* in ipso *Jeremia* comprehendunt.

II. Patres, qui ante *Innocentium* I. floruerunt, etsi non expresse canonem Scripturarum, singulosque libros recensent; laudant tamen ut divinos eos libros, quos Catholici recipiunt, ut *deuterocanonicos*, licet ab Judaeis, atque haereticis rejiciantur. Sic librum *Tobiae* citant Clemens R. *Epist.* I. Clemens Alex. *Lib. VI.*

Strom. Origenes *Hom.* XXVII. *in Num.* Athanasius *Apolog.* ad *Constant.* et *Apolog.* II. *cont. Arian.* Librum *Judith* laudant Clemens Alex. *Lib.* IV. *Strom.* Origenes *Homil. in Judic.* Tertullianus *Lib. De monog. Cap. ult.* Librum etiam *Esther* idem Clemens Alex. *Lib.* III. *Strom.* Cyrillus Jerosol. *Catech.* IV. Concilium Laodicaenum, Origenes etc. Librum *Sapientiae Clemens Alex. Athanasius, Tertullianus, Cyprianus, Basilius.* Ecclesiasticum *Clemens R. Epist.* I. Clemens Alex. *Lib.* I. *Paedagog. Cap.* 8. *Baruch* laudant patres multi vetustissimi sub nomine *Jeremiae, Cyprianus, Athanasius, Clemens Alex. etc.* Libros *Machabaeorum* Origenes *Lib.* II. *Peri-arch. Cap.* I. Cyprianus *Epist. LV.* Epistolam ad *Hebraeos Clemens R. Clemens* Alex. *Cyrillus Jerosol. Athanasius,* aliique. Epistolam *Jacobi Origenes, Eusebius, Athanasius, Clementes duo, Romanus,* et *Alexandrinus.* Secundam *Petri Athanasius, Nazianzenus,* aliique. Secundam, et tertiam *Joannis Tertullianus, Nazianzenus etc.* Epistolam *Judae* Concilium Laodicenum, *Athanasius,* et *Cyrillus Jerosol.* Denique *Apocalypsim Athanasius, Origenes, Nazianzenus,* et alii.

III. Quaenam fuerit omnibus saeculis Ecclesiae universalis sententia, ac fides de libris Scriptarum canonicis, non aliunde melius cognosci potest, quam ex versionibus, quibus illa utebatur. Qui enim libri in earum erant versionum codicibus, atque a patribus passim ut sacrae Scripturae laudabantur, ii sine dubio censebantur canonici. Porro Ecclesia occidentalis, ante *Hieronymi* versionem, *Itala* praecipue utebatur, quae non solum in Italica, sed et in Gallicana, Hispanica, Africana Ecclesia in usu erat. Itala autem versio omnes libros, quos nunc *Deuterocanonicos* dicimus, in codice Scripturarum habebat, ut patet non solum ex fragmentis, quae *Flaminius Nobilius* collegit, verum etiam luculentissime ex codice, quem laudat Cassiodorus *Lib. Divin. Instit. Cap.* 14. in quo libri Sacri hoc ordine recensentur: *Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Jesu Nave, Judices, Ruth, Regum* 4. *Paralipomenon* 2. *Psalmorum liber unus, Salomonis* 5. *Proverbia, Sapientia, Ecclesiasticus, Ecclesiastes, Can-*

Digitized by Google

ticum *Canticorum*, *Prophetae Isaias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Daniel*, *Osee*, *Amos etc. Job*, *Tobias*, *Esther Judith*, *Esdrae* 2. *Machabaeorum* 2. deinde omnes novi Testamenti. Cumque recepta est *Hieronymi* versio, in qua plures libri deuterocanonici deerant, ii ex antiqua versione suppleti sunt, ut fatetur *Waltonus in Proleg.* adeo certum erat, libros illos esse divinos. Idem dicas de Versionibus Graecis, Syriacis, atque Arabicis, quarum plures Codices in *Vindiciis librorum Deuterocanonicorum in Supplem. Nat. Alex.* laudantur.

IV. Praeterea Ecclesiae mens ex Liturgiis, divinisque officiis perspicue constat, in quibus excerpta ex libris *deuterocanonicis* capita in publicis Ecclesiae conventibus, ac precibus recitata sunt, ut videre est in *Missalibus* antiquissimis, quae in iisdem *Vindiciis* recensentur.

V. Tam constans erat apud veteres traditio de librorum, qui nunc *deuterocanonici* dicuntur, divinitate, ut *Ruffinus* crimini verterit *Hieronymo*, quod libros illos, praesertim *Judith* non recensuerit in Canone, cui criminationi *Hieronymus* respondet *Lib. II. cont Ruffin. Cap.* 9. non rejicere se libros illos, sed tantum monuisse, a Judaeis in Canonem non referri.

VI. *Eugenius* IV. eosdem recensuit libros in *Decreto pro Armenis*, sive pro *Jacobitis*, ita ut satis perspecta fuerit tempore Concilii Tridentini traditio, ex qua ita definitum est *Sess. IV. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata Latina editione habentur, non susceperit: . . . anathema sit.* Ergo etc. Vide Bellarminum *Lib. I. de verbo Dei*, Jodocum Coccium *Lib. VI. Thesauri*, Sylvium *Opusc. V.* Calmet *in Praefationibus*, et *Vindicias librorum Deuteroc. in Supplem. Hist. Nat Alex.* Adde etiam *Stapletonum*, *Hamelium*, *Dupinum*, *Petitdidierum*, *Natalem Alexandrum*, *Frassenium etc.*

§. V.

Refutantur objecta.

Objectiones, quae generatim contra libros *Deuteroca-*

nonicos fieri solent, *Lib. II. Cap.* 3. dissolvimus. Restant hic illa refutanda argumenta, quae contra singulos opponuntur, quae magno molimine *Guillelmus Witakerus, Raynoldus, Gerhardus*, aliique collegerunt.

Objic. I. cont. Lib. Tobiae. In libro *Tobiae Cap. V.* 18. Angelus *Raphael* interrogatus quisnam esset, respondit: *Ego sum Azarias magni Ananiae filius.* Atqui hoc mendacium est, atque ideo Angelo indignum. Ergo.

℟. *Neg. min. Azarias* enim auxilium Domini, *Ananias* gratiam Domini significat, ita ut vere dixerit Angelus, se esse auxilium, sive auxiliatorem Dei gratia ad *Tobiam* missum; quamvis putaverit *Tobias, Azariam*, et *Ananiam* propria esse nomina virorum, quorum famam audierat. Praeterea cum Angelus *Azariae* illius speciem, incessum, atque omnem exteriorem formam induerit, dicere potuit, se esse *Azariam*, quemadmodum et Angelus Dei nomine loquens ait· *Ego sum Deus tuus Genes. XXXI.* 13. *Ego sum Dominus Deus tuus Exod. III.* 6. *et al.* Oportebat autem, Angelum humanam induere speciem, ut homini opitulari posset. Ita *Lyranus, Carthusianus, Serarius, Menochius etc.*

Objic. II. Tob. IV. 18. Sic *Tobias* filium admonet: *Panem tuum, et vinum tuum super sepulturam justi constitue.* Atqui haec erat Ethnicorum superstitio, qua putabant, mortuorum animas e sepulcris egredientes appositis epulis vesci. Unde Ovidius:

Nunc animae tenues, et corpora functa sepulcris
Errant, nunc posito pascitur umbra cibo.

Quam superstitionem merito Tertullianus *Lib. de Resurrect. carn.* irridet. *Ipsos*, inquit, *defunctos atrocissime comburit, quos postmodum gulosissime nutrit.* Ergo non potuit haec vana superstitio a Spiritu Sancto *Tobiae* inspirari.

℟. *Dist. min.* Erat haec apud Ethnicos superstitio, ut epulas defunctis appararent, quasi iis pasci mortuorum animae possent; tamen non ex hac superstitione, sed longe alia, eaque laudabili causa *Tobias* panem, et vinum super justi sepultura constituere praecipit *conc.* Secus, *neg.* Nonnulli quidem Auctores apud *Calmetum* eo argumento permoti, quod est in objectione proposi-

tum, alio sensu, quam prima fronte habere videntur, verba *Tobiae* explicare conati sunt. *Munsterus* enim putat, ea verba: *panem etc. super sepulturam justi constitue*, non aliud sibi velle, nisi panem, et vinum egentibus justis largiri, ne ad sepulcrum deducantur, hoc est ne fame pereant. *Castalio* ita rem explicat; nihil esse acceptius defunctis, ac sepultis hominibus, quam viventibus benefacere, iisque egentibus panem suum, ac vinum, hoc est necessaria ad victum largiri. Contendit *Grotius*, Tobiam hortari filium, ut panem et vinum Israelitis ob mortem suorum maerentibus mittat. Posset etiam intelligi, *Tobiam*, ut erat in sepeliendis Israelitarum corporibus sedulus monuisse filium, ut et ipse morem illum imitari studeret, et super sepultura justi in sepeliendis justis totam suam voluptatem, quasi hic suus panis, ac vinum esset, constitueret. Alii aliter sentiunt. Sed absurdum non est Hebraeos meliori consilio, ac ratione quaedam usurpasse, quae prava superstitione Ethnici facere consueverant. Quamvis igitur isti ideo escas tumulis defunctorum apponerent, quia stulte animas inde pasci arbitrabantur, longe alia tamen ratione Hebraei panem, et vinum mortuorum sepulcris apponebant; ut scilicet inde pauperes in defunctorum suffragium reficerentur, atque ita illud charitatis officium viventibus simul, mortuisque prodesset. Neque solum apud Hebraeos, verum etiam apud veteres Christianos mos iste invaluit, ut defunctorum tumulis dapes apponerentur, quibus non defunctorum animae, ut Ethnici putabant, vescerentur; sed alerentur viventes in memoriam defunctorum. Qui quidem mos principio sobrius, ac laudabilis, cum in abusum, ut sunt omnes res humanae, declinaret, crapulisque, et ebrietatibus occasio esset, Sancti Episcopi eum si non extirpare, saltem quantum poterant, corrigere conati sunt. Refert enim Augustinus *Lib. VI. Confess. Cap.* 3. Sanctam *Monicam* matrem suam, cum esset Mediolani, fructus, et vinum ad martyrum sepulcra afferre consuevisse, a quo tamen more statim recessit, ubi Sanctum *Ambrosium* id prohibuisse intellexit. Neque tamen ita facile fuit inveteratam apud multos Christianos consuetudinem abolere, quamvis non parum ei extirpandae ipse allaboraverit

*

Augustinus, qui, cum non posset eam, ut cupiebat, omnino tollere, saltem ad saniorem modum redigere curavit, unde inquit: *Oblationes pro spiritibus dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum est, super ipsorum memorias non sint sumtuosae, atque omnibus peteutibus sine typho, et cum alacritate praebeantur, neque vendantur etc.* Cum igitur in ea consuetudine non ipsa res, sed abusus esset reprehendendus, non est cur *Tobiae* succenseamus, qui inter reliqua charitatis officia hoc etiam filio commendavit, ut super justorum sepulcris panem suum, ac vinum apponeret.

Objic. III. In eodem libro manifesta contradictio est de loco, in quo habitabat *Gabelus*, cui *Tobias* senior pecuniam mutuatus erat, et *Sara* uxor junioris *Tobiae*. *Gabelus* enim habitasse dicitur in *Rages* civitate Medorum *Tob. IV.* 21. *Sara* etiam *Tob. III.* 7 ponitur in *Rages* Medorum. Et tamen *Tob. IX.* 3. cum *Tobias* jam ad *Sarae* domum pervenisset, mittit Angelum in *Rages* Medorum ad *Gabelum*. Ergo.

℞. *Neg. ant.* Tum quia *Sara* in Greco textu, imo et in Hebraico *Munsteri* habitasse dicitur *Echatanis* in Media, quae civitas *Ninivi* propior duorum itinere dierum, a *Rages* aberat; tum quia non est mirum in eadem vastissima Mediae provincia duas fuisse urbes, quae eodem nomine *Rages* appellatae sunt, quarum una, in qua habitabat *Sara*, dicebatur etiam *Echatana*, altera vero simpliciter *Rages*; sicut in eadem Syriae provincia *Caesareae* duae erant, altera *Philippi*, altera *Palestinae*, et plures urbes nomine *Antiochiae*. Denique cum *Bellarmino*, aliisque responderi potest, habitasse *Saram* vel *Gabelum* in *Rages*, quia in aliquo oppido urbi vicino habitabat.

Objic. IV. *Tob.* VI. 8. Ait Angelus, fumum cordis ex pisce extracti fugare daemones: *Cordis*, inquit, *particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus daemoniorum*: at paulo post, ait, id efficere fumum jecoris. Atqui utrumque absurdum videtur; nec ullus unquam ex Prophetis, aut Apostolis hoc modo docuit abigendos esse daemones. Ergo.

℞. *Dist maj.* Ait, fumum cordis tantum fugare daemones, *neg.* Cordis, et jecoris, *conc.* Componendo

scilicet utrumque versum 8 et 19. perspicuum est, tum cordis, tum jecoris fumo eam virtutem tribui; et revera Graecus textus, et Hebraeus utrumque simul conjungunt: Η *καρδια και το ηπαρ*. *Dist.* etiam *min.* Absurdum est, fumum cordis, aut jecoris, aut utrumque effugare daemones naturali virtute, *trans.* Supernaturali; *neg.* Sed quia virtutem illam ea tantum vice super naturam habuit, ideo nec Prophetae, neque Apostoli docuerunt, hac ratione abigendos esse daemones. Vide quae diximus *Lib. V. Part.* 2. *Cap.* 9.

Objic. V. Quod in Libro *Tobiae* XI. 9. refertur de cane, qui Tobia redeunte praecurrens *blandimento caudae gaudebat*; inutile videtur, ac Spiritus Sancti majestate indignum. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Quod enim a Deo est; inutile, Deique majestate indignum esse non potest; licet quo consilio factum sit, ignoremus. Ceterum quod de cane *Tobiae* objectum est pertinet ad historiae integritatem ac nativam quandam simplicitatem, quae rem gestam per *hypotyposim* sub oculos lectoris ponit. Hinc Homerus idem ferme habet de cane Ulyssis in Ithacam redeuntis.

Objic. VI. Ait Tobias *Cap. XIII.* 12. *et XIV.* 7. Jerusalem, et Templum fuisse eversa, Judaeosque captivos abductos esse. At in hoc manifeste libri auctor errore lapsus videtur. Cum enim, ut ipse ait, Tobias mortuus sit annos natus nonaginta novem *Tob.* XIV. 16. et captivus adductus fuerit a *Salmanasar Tob.* I. 2. non accidit utique aetate sua Jerosolymorum excidium, quae capta, et eversa est a Nabuchodonosor centum et triginta annis postquam decem tribus captivae abductae sunt a *Salmanasar*. Ergo

℟. *Neg. ant.* Quod enim ait *Tobias* verbo praeteriti temporis: *Jerusalem castigavit te Dominus*, id pro futuro positum, omnes interpretes consentiunt; ita ut *prophetice* dictum sit. Et quidem in Graeco textu futurum est: *μαστιγώσει επι τα έργα των υιων σου*. Sed etsi praeteritum tempus servaret; non est a locutione prophetarum alienum, ut praeteritum pro futuro ponant, vel propter rei certissimum eventum, vel propter ipsum linguae originalis ingenium.

Objic. VII. *cont. Librum Judith.* Nusquam in Scri-

pluris nota est urbs *Bethulia*, in qua *Judith* vixisse narratur, neque *Josephus* eam attingit historiam, quae certe propter rei celebritatem omitti non debebat. Praeterea quo tempore acciderint, quae in eo libro narrantur, utrum scilicet ante, an post Babylonicam captivitatem, definiri non potest. Ad haec, pugnantia loquitur auctor; ait enim *Cap.* VIII. 1. fuisse *Judith* de tribu *Ruben*; et tamen *Cap.* IX 2. ipsa *Judith* se fuisse ait de tribu *Simeon*. Denique *Cap.* IX. 2. tamquam facinus egregium laudatur, Deoque auctori tribuitur *Simeonis* et *Levi* crudelitas, et dolus, quo Sichemitas occiderunt *Gen. XXXIV.* quod in Genesi *loc. cit.* et *Cap. XLIX.* 7. merito reprehenditur: *Maledictus*, inquit Jacob, *furor eorum, quia pertinax, et indignatio eorum, quia dura.* Ergo.

R. *Ad* 1m. Etsi ex aliis Scripturarum libris non constet *Bethuliae* urbis nomen, satis est, constare illud ex libro *Judith*. Cum enim apud Judaeos liber ille religiose servatus sit, licet non in canone, absurdum est dubitare, utrum urbs illa extiterit. Ceterum ejus urbis situm describit *Adricomius*, aliique in Tribu *Zabulon*.

Ad 2m. *Josephi* silentium argumentum est negativum, quod adversus librum *Judith* a Judaeis ipsis in pretio habitum praevalere non potest.

Ad. 3m. De multis historiis sine ulla dubitatione certissimis non constat tempus, quo acciderunt, neque controversiae inter eruditos de tempore agitatae rerum veritatem infringunt. Ceterum Bellarminus *Lib. I. De Verbo Dei Cap.* 12. Serarius *Quaest: II. ad Cap. I. Judith*, *Salianus*, *Genebrandus*, *Usserius*, *Calmet*, aliique historiani *Judith* accidisse opinantur ante Babylonicam captivitatem. Eusebius *ad Olympiad.* LXIII. Augustinus *Lib.* XVIII. *De Civ. Cap.* 26. *Dionysius Carthusianus*, *Estius*, *Joannes Driedo*, *Torniellus*, aliique, post captivitatem, quia de Judaeis dicitur *Judith V:* 23. *Nuper reversi ad Dominum Deum suum ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, et ascenderunt montana haec, et iterum possident Jerusalem*, nec ulla in Libro *Judith* mentio fit Regis tunc in Judaea imperantis sed dumtaxat Summi Sacerdotis. Hanc tamen controversiam expendere hujus loci non est.

Ad. 4m. Nonnulli quidem interpretes putarunt, *Judith* ex tribu *Ruben* per patrem, ex tribu *Simeon* per matrem descendisse, alii opinantur, *Ruben*, qui *Cap.* VIII. commemioratur, non fuisse filium *Jacob*, et caput tribus *Ruben*, sed alium virum ex tribu *Simeonis* celebrem, ita ut verum sit, *Judith* descendisse ex tribu *Simeon*, et tamen inter ejus majores fuisse *Ruben* ex eadem *Simeonis* familia. Sed adeo sunt inter se discrepantes lectiones tum Graeci texus, (neque enim superest originalis Chaldaicus), tum Latini, ut merito *Calmet* opinetur, mendosum esse textum *Cap.* VIII. 1. legendumque cum *Fulgentio*, et versione Syriaca *filii Simeon*, *filii Israël*, sive *Jacob*: non vero ut habet Vulgata: *Filii Simeon*, *filii Ruben*. Porro cum Scripturarum veritatem defendimus, nequaquam affirmamus, nullum in rebus levioribus irrepsisse mendum incuria librariorum.

Ad 5m. Tribuitur quidem Deo in *Cap.* IX. *Simeonis*, et *Levi* factum contra Sichemitas non tamen laudatur. Sicut enim *Ezech.* XXX. 24. ait Dominus: *Confortabo brachia Regis Babylonis, daboque gladium meum in manu ejus, et confringam brachia Pharaonis* ex quo non sequitur, probatam fuisse, ac laudatam Regis Babylonii ambitionem, et crudelitatem, sed Deum fuisse eo usum ad puniendos Ægyptios; sic etiam dicitur *Judith* IX. 2. *Dominus Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum*, nec inde sequitur laudari *Simeonis* crudelitatem. Omnis quippe impiorum hominum fortitudo, atque potentia a Deo est, qua tamen ipsi in malum abutuntur; sed Deus ipsa eorum malitia utitur in bonum.

Objic. VIII. Scribit auctor Libri *Judith*, *Nabuchodonosor* regnasse *in Ninive*, cum tamen ex universa historia sacra constet, cum Babylone regnasse. Addit, eum vicisse *Arphaxad* Medorum regem, qui Ecbatanam fundaverat; constat autem ex Herodoto *Lib. I. Cap.* 8. 9. fundatorem *Ecbatanae* fuisse *Dejocem*, qui a nullo victus, magnaque sibi gloria comparata in pace obiit. Praeterea ait, eam victoriam retulisse *Nabuchodonosor* in campo magno, qui appellatur *Ragau* circa Euphratem, et Tigrin, et Jadason, in Campo *Erioch* Regis *Elico*-

rum, quae loca non solum ignota sunt, verum etiam longissimo a se dissita intervallo esse debuissent, ut patet ex nominibus fluminum *Euphratis*, *Tigris*; et *Jadason*; ideoque non potuit in omnibus illis simul regionibus committi praelium, quo *Arphaxad* victus fuisse dicitur. Accedit,quod Reges illi ante Babylonicam captivitatem regnarunt; ideoq. rex etiam aliquis eo tempore in Judaea regnare debebat; et tamen in Libro *Judith* nulla regis, nulla Ducum militarium mentio est; omnia ad nutum summi Sacerdotis, ejusque Senatus, qui Babylonica captivitate longe posterior fuit, geruntur. *Holophernes* vero inducitur vivens more Persarum, qui tempore *Nabuchodonosoris* non dum imperium, nec nomen obtinuerant. Ad haec multa Libri illius auctor in Geographia, multa etiam in temporum ratione, ac numeris confundere videtur; textus vero Graecus immane quantum a Latino differt. Denique quis credat, *Holofernem* tot regionibus trium mensium spatio subactis, quae vix alius eodem tempore percurrere potuisset, unius oppiduli resistentia impeditum cum tot copiis in obsidione inertem integro mense consedisse, occupatisque dumtaxat montibus, nihil omnino ad oppidum vi expugnandum conatum esse? Hinc *Grotius*, non solum apocryphum esse librum contendit, verum etiam fabulosum, scriptumque tempore *Antiochi Epiphanis*, ad confirmandos Judaeorum animos, atque in spem divini auxilii erigendos. In ea fabula, inquit, nec locorum nec temporum ullam auctor rationem habuit,sed sub fictis *Judith*. *Bethuliae*, *Nabuchodonosoris*, et *Holofernis* nominibus Judaeam, templum Domini, Diabolum, et Antiochum designavit.

℟. *Ad.* 1m. Nomen *Nabuchodonosor* ab Hebraeis tribui solebat regibus, qui trans Euphratem regnabant; sicut *Pharaonis* nomen omnibus Ægypti Regibus, quamvis a profanis Scriptoribus alio illi nomine appellentur; idque praesertim post captivitatem cum magni *Nabuchodonosoris* nomen celeberrimum esset. Potuit igitur auctor libri Judith ex eo Hebraeorum more Regem Ninivis Nabuchodonosor appellare, qui a profanis auctoribus *Saosduchin* vocatur.

Ad 2m. Ait *quidem Herodotus*, *Dejocem* Ecbatanam aedificasse,cum antea Medi sine Rege,sine urbibus passim

in pagis, et in agris viverent; sed non inde evincitur, illum ita urbem totam perfecisse, ut nihil filio addendum reliquerit, cum praesertim tanta fuerit incepti operis amplitudo, ut vix credibile videatur a *Dejoce* ipso perfectum esse. Si igitur dicamus, *Dejocis* filium perfecisse opus a patre coeptum: jam utraque historia vera erit, scilicet *Dejocem* Ecbatanam fundasse, et in pace obiisse: *Arphaxad* vero ejus filium coeptum opus perfecisse, sed bello victum a *Nabuchodonosore* Rege Ninivis. Filius quidem *Dejocis* ab Herodoto *Phraortes* appellatur, qui ab auctore libri *Judith Arphaxad* dicitur, quae nominum varietas, ut paulo ante dixi, nobis negotium non facessit. Sed si *Herodoti* historiam conferas cum libro *Judith*, mira inter utrumque consensio constat. Ait enim Herodotus, *Phraortem primum imperio suo submisisse Persas, et cum Medis, et Persis reliquos Asiae populos devicisse, ab una ad aliam gentem subinde gradum faciendo, semper comite victoria; donec contra Ninivem, et Assyriorum imperium inferens arma, victus, caesusque fuit anno regni sui secundo supra vicesimum.* Quod cum iis consonat, quae in Libro *Judith* habentur, scilicet *Arphaxad regem Medorum subjugasse gentes multas*, donec a Rege Assiriorum, qui regnabat in Ninive devictus est. Quod autem Rex ille Ninivis ab auctore libri *Judith* dicatur *Nabuchodonosor*, a profanis vero Scriptoribus *Saosduchin* nihil nobis omnino, ut supra advertimus, incommodat.

Ad 3m. Non ait auctor, uno praelio victum *Arphaxad*, confectumque bellum; potuit igitur pluribus in locis, pluribusque adversis praeliis vinci, donec tandem vel captus est; vel in acie cecidit; ideoque recte Scribit auctor, *Nabuchodonosor* vicisse *Arphaxad* in campo *Ragau*, circa *Euphratem*, et *Tigrim*, et *Jadason*, et in campo *Erioch*. Quae quidem loca nonnulla satis feliciter explicata a viris doctis, ac designata sunt; alia aliquanto obscurius, ac veluti per conjecturam. Sed etsi omnia propter temporum antiquitatem ignota nobis essent; non idcirco nutaret sacrae historiae veritas; erant enim nota veteribus, nec nunc nobis ea scire necessarium est.

Ad 4m. Pendet ejus difficultatis explicatio ex alia quae-

stione, quam vehementer esse inter viros doctos agitatam supra diximus, utrum historia *Judith* ante Babylonicam captivitatem, an postea acciderit. Qui post captivitatem contigisse rem putant, facile explicant qua ratione nulla fiat mentio Regis tunc in Judaea imperantis, omniaque per summum Sacerdotem gesta dicantur; sed non ita facile reliquas difficultates expediunt. Qui vero contendunt eam historiam ante captivitatem accidisse, respondent, rem esse gestam eo tempore, quo *Manasses* captivus Babylone detinebatur. Sed quamvis de tempore non omnino constet, non ideo negari rei veritas poterit, cum multa olim certissime contigisse narret historia, quae quonam praecipue tempore gesta sint, definire non possumus.

Ad 5m. Quamvis Persae nondum tempore *Holofernis* nomen; et imperium obtinuerint, non hinc efficitur, Persarum mores non fuisse jam olim ante eorum imperium apud alios Orientis principes receptos, quos et imitabatur *Holofernes*.

Ad 6m. Quod ad nomina locorum, temporumque numeros attinet; quae in hoc libro confusa clamant adversarii, repetendum est, quod saepe diximus, incuria amanuensium; multa in textum irrepere menda potuisse, quae hodie, cum originalis textus Chaldaicus intercideri, corrigere non possumus. Graecus quidem textus nonnullis in locis a Latino differt; sed uter originali Chaldaico congruentior fuerit, audacter hodie definiremus. Illud scire satis est ex Tridentini Concilii definitione, latinam versionem, quae a *Hieronymo* ex originali Chaldaico adornata est, non ad verbum, ut ipse fatetur, sed ad sensum, authenticam esse, hoc est nullum contra fidem, et bonos mores errorem continere.

Ad 7m. *Holofernem* tot regiones trium mensium spatio subegisse quid mirum est, cum nullum, qui eum remoraretur, hostilem exercitum oppositum habuerit? Cur vero in *Bethuliae* obsidione victor exercitus consederit, ea ratio esse potuit, quod *Holofernes* certissimo sperans, eam sine suorum sanguine, ac vulneribus, fame ac siti expugnare, noluit milites in montanis, praeruptisque locis certamini objicere, cum praesertim e re sua esse putaret universum exercitum Ægypto, aliisque regionibus occu-

pandis incolumem servare; ejusque vires opportuna, post tot labores quiete reficere, et confirmare.

Ad 8m. Mirum est, *Grotium* ad fabulam et parabolam *Judith* historiam detorquere, cum testetur auctor ejus libri, institutam apud Judaeos sollemnem ejus rei memoriam quotannis celebrandam, eamque usque ad suam aetatem stauta die fuisse a Judaeis religiose celebratam *Judith. XVI.* 31. *Dies autem,* inquit *victoriae hujus festivitatis ab Hebraeis in numero sanctorum dierum accipitur, et colitur a Judaeis ex illo tempore usque ad praesentem diem*; quod scribere, si falsum esset, qua fronte auctor esset ausus? Si igitur apud Judaeos annua instituta sollemnitas est in memoriam rei gestae, profecto fabula illa esse nullo modo potuit. Ceterum, ut recte Calmetus advertit, *quando ea protulissent rationum momenta adversarii* (quod tamen hucusque non fecerunt) *quibus cogeremur totam hanc historiam ad parabolam, sive ad fabellam solandis afflictis Judaeis procusam, et ad exhibendum in Judith minime fucatae virtutis ideam, deflectere, quid proinde illis ad infirmandum ejusdem operis auctoritatem? An propterea in eo scribendo opere auctor divini Spiritus afflatu destitueretur? An Patres, qui ex eo testimonia laudarunt, Concilia, quae in Canonem Scripturarum cooptarunt, Ecclesia, quae opus probavit, sive in errore versari, sive in discrimen religionem adduxisse crederetur? Novum testamentum redundat parabolis, redundat et vetus, ea diligentia, et accuratione scriptis, ut possent pro veris historiis haberi. . . . . Nisi quis absurdum aliquid, sive perniciosum dogma in eo libro contineri demonstraverit, nunquam evincet contra ejus veritatem.*

Objic. IX. Cum sibi ipse auctor contradicit, manifesta ea nota falsitatis est, quae a Spiritu Sancto dictari non potuit. At in eodem libro *Judith Cap. II.* ait auctor *Holofernem* Ninive profectum recensuisse in exercitu suo *equitum sagittariorum duodecim millia.* In Capite autem *VII.* ait, eum in obsidione *Bethuliae* habuisse *equites vigintiduo millia.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Nisi enim vitio librariorum in alterutro loco peccatum sit, recte existimare possumus, vel equitum numerum in ipso itinere, novis accedentibus auxi-

liariis copiis, auctum esse, vel in *Capite II.* non omnium equitum, sed tantum *sagittariorum* factam esse mentionem, in Capite autem *VII.* omnem equitatum fuisse recensitum, ita ut duodecim millia equitum sagittariorum essent, reliqui non iisdem armis, nec eadem pugnandi ratione instructi.

Objic. X. Auctor libri *Judith* ait, Bethuliam in montanis fuisse sitam, et tamen notat *Cap. VII. Holofernem*, qui in valle castra posuerat praecidisse aquaeductum, qui aquam in urbem afferebat. Sed hoc absurdum est; quomodo enim ex valle aqua per canales in montes duci poterat? Ergo.

℟. *Neg. min.* 1.° Quia in ipsis montibus fontes sunt, qui ex montibus altioribus per canales fluunt. 2.° Quia Graecus textus non ait, *Holofernem* praecidisse aquaeductum, sed potitum esse fontibus, unde cives aquam hauriebant, qui utique esse poterant ad radices montis.

Objic. XI. Dolus, quo *Judith* usa est *Cap.* X. et *XI.* ad *Holofernem* decipiendum, impurosque ejus amores, ac libidinem excitandam, et mendacia, quibus eum decepit, decere non videntur Dei potentiam, veritatem, sanctitatem. Et tamen *Judith* ob ea gesta laudibus in caelum extollitur *Cap. XV.* et *XVI.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Laudibus extollitur propter ejus animi fortitudinem, rectam intentionem, religionem, ac secutam inde populi liberationem, *conc.* Propter aliqua, si quae fuerunt, in ejus actione, quae reprehensionem merebantur, *neg.* Dixi, *si quae fuerunt.* Multi enim interpretes actionem *Judith* indifferentem fuisse ajunt, quamvis inde *Holofernes* culpa sua occasionem acceperit impuris cogitationibus peccandi, quod et confirmant ex illis verbis *Cap. X.* 4. *Cui Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio non ex libidine; sed ex virtute pendebat.* Verba vero quae protulit, quaeque prima fronte mendacia videbantur, verum habuisse sensum, quamvis falso ab *Holoferne*, ejusque militibus intellecta fuerint. Verum *Calmet Comment. in Cap. X. Deus*, inquit, *miraculose potuit conferre decorem pulchritudini Judith; et patres, atque Ecclesiastici auctores merito celebrant illius fortitudinem, ac sapientiam laudibus exquisitissimis, licet factum illius minime prae-*

referat omnes probitatis characteres, qui necessarii sunt, ut perfecte Deo reddatur acceptum. Supremus Israel Dominus illi procul dubio magnum, et laudabile patriae suae liberandae consilium immiserat, verum non inde probare possumus, Deum illi etiam tradidisse, quo pacto illud esset expletura. Quod ad rem praesentem attinet, haec interpretum controversia veritati divinae Scripturae non officit. Quamvis enim cum *Calmeto* fateremur, aliquid in eo facto peccasse *Judith*, non hinc efficeretur, falsam esse Scripturam, quae rem gestam refert. Scripserunt fusius pro libro Judith Sixtus Senensis *Lib.* VIII. *Biblioth.* 5. Bellarminus *Lib. I. De verb. Dei Cap.* 12. Serarius *Proleg. in Lib. Judith*, Daniel Huetius *Dem. Evang. Prop.* 4. Bernardus Moutfanconius peculiari opere *De libro Judith.* Calmet *in Praefatione Lib. Judith. etc.*

Objic. XII. *cont. Lib. Esther.* In libro *Esther* non cohaerent septem extrema capita prioribus; ita ut aliena saltem manu, humanoque ingenio quaedam assuta videantur. Nam *Cap. II.* duorum Eunuchorum referuntur insidiae, quas *Mardochaeus* detexit. At rursus *Cap. XII.* quasi nihil ea de re antea dictum esset, eaedem insidiae referuntur; quod manifeste alium auctorem prodit. Ergo.

℞. *Dist. ant.* Non respondent postrema prioribus quoad rerum gestarum ordinem, *conc.* Quoad rei veritatem *neg.* intelligendum enim est, septem postrema capita non ad finem, sed ad initium libri pertinere, ut ex editione LXX. manifestum est. Sed quia ab Hebraeis codicibus, aliisque exemplaribus aberant, ad extremum librum translata sunt, ut *Hieronymus* in notis advertit. Ceterum quod ad rei veritatem pertinet, postrema prioribus consentanea sunt, eaque confirmant. Quod si plures fuerint diversorum capitum auctores, non id divinitati Scripturae quidquam detrahit.

Objic. XIII. Quis fuerit *Assuerus*, sive *Artaxerxes*, de quo in libro *Esther* tam multa referuntur, hucusque inter eruditos definiri non potuit. Alii enim volunt, *Assuerum* hunc esse *Astyagem* patrem *Darii* Medi, alii ipsum Darium. Harduinus *in Cronolog.* contendit esse fratrem *Astyagis*, filium *Cyaxaris* Ge-

nebrardus, et Vatablus *Cambysem*. Scaliger, Drusius, aliique *Xersem*. Bellarminus, Petavius etc. *Artaxerxem Longimanum*. Eusebius, Sulpitius Severus, Sixtus Senensis, et alii *Artaxerxem Mnemonem*. Serarius, Gordonus etc. *Ochum*. Abenezra, Lyranus, Fevardentius, Bonfrerius, Usserius, Calmet *Darium Hystaspis*. Unaquaeque vero sententia sua habet incommoda. Videtur ergo fabulosa narratio.

℟. *Trans. ant. neg. cons.* Non enim idcirco neganda historia est, quia propter nominum diversitatem, quibus quidam Reges ab Hebraeis, atque ab ethnicis Scriptoribus appellantur, quisnam certe fuerit Rex aliquis, *ex. gr. Nabuchodonosor*, *Pharao*, *etc.* definire non possumus. Ceterum cum *Assuerus* ille dicatur *Artaxerxes*, quo nomine duo praecipui fuerunt Persarum Reges, scilicet *Longimanus* et *Mnemon*; inter hos reges duos praecipue divisae sunt sententiae eruditorum, quas expendere longiori Dissertatione non nostrorum est, nostrique instituti.

Objic. XIV. Multae sunt in libro *Esther* contradictiones. Nam 1.° Eunuchorum conspiratio, atque insidiae *Cap. II.* 16. *et* 21. factae dicuntur anno septimo *Assueri*. At eaedem insidiae *Cap. XI. et XII.* anno *Assueri* secundo accidisse referuntur. 2.° *Cap.* VI. 3. dicitur *Mardochaeus* ex revelatione ejus conjurationis nihil omnino mercedis accepisse: at *Cap.* XII. 5. dicitur, *data ei fuisse pro delatione munera*. 3.° *Cap. III.* 1. *Aman* fuisse traditur *de stirpe Agag* regis *Amalecitarum*: at *Cap.* XVI. 10. dicitur *animo*, *et gente Macedo* 4.° *Cap. III.* Caussa indignationis *Aman* in *Mardochaeum* fuisse dicitur, quod *Mardochaeus* noluerit *Aman* adorare: at *Cap.* XII. 6. dicitur ex eo orta, quod *Mardochaeus* Eunuchos accusasset; quod eo magis videtur repugnans, quo in *Cap. III.* 1. *Aman* exaltatus dicitur post illam Eunuchorum conspirationem; ita ut non potuerit ea de causa *Mardochaeo* indignari. 5.° *Cap.* XVI. 14. Dicitur *Aman* cogitasse, ut *regnum Persarum ad Macedones transferret*; quod profecto manifeste videtur incredibile, cum *Assueri* tempore quicumque ille fuerit, satis exiguum fuerit Macedonum regnum, ut nihil inde potuerit Persarum imperium pertimescere. Ergo.

Neg. ant. Ad 1m. Insidiae quidem Eunnchorum anno septimo Assueri factae sunt, ut *Cap.* II. traditur; nec contrarium asseritur *Cap.* XII. Licet enim in praecedenti *Cap.* XI. referatur *Mardochaei* somnium in anno secundo Regis *Assueri*, et sequenti Capite dicatur: *Morabatur autem eo tempore in aula Regis cum Bagatha, et Thara Eunuchis Regis*, quorum deinde conspiratio commemoratur, non inde tamen sequitur, eodem illo anno conjurationem illam accidisse. *Ad* 2m. Dicitur *Cap* XII. data fuisse Mardocheo munera, non illa, quae data fuisse negantur *Cap.* VI. sed vel illa ipsa, quae *Mardocheo* data sunt postquam intellexit Rex, nihil ei fuisse pro beneficio tributum, vel pauca quaedam, et exigua, nec talia, tamque honorifica, quae Rex *Cap.* VI. dari volebat, et utrum data fuissent, interrogaverat. *Ad* 3m. Quamvis *Aman* de stirpe *Agag* ortus fuerit; non inde efficitur, ut non potuerint ejus majores in Macedoniam fugere cum a *Saule*, et *Samuele* Amalecitae deleti sunt; nec quia *Agag* vivus a *Saule* captus est, omnis ejus familia, atque cognatio fuga sibi consulere non potuit. *Ad* 4m: Nihil vetat, causam fuisse duplicem indignationis *Aman*, et quod *Mardochaeus* Eunuchos accusaverat, quorum *Aman* vel consiliorum particeps fuerat, vel amicus ante suam exaltationem, et quod ei honores deferre negabat, quos impie appetierat. *Ad* 5m. Regni quidem Macedonum tempore *Assueri*, obscuritas non efficit, ut non potuerit *Aman* moliri aliquid, quo illud faceret celeberrimum. Ceterum *transferre regnum ad Macedones* significare potest, voluisse *Aman*, sublato *Assuero*, vel seipsum, vel Macedonem aliquem Persarum regem constituere.

Objic. XV. Videtur totus liber *Esther* fabula quaedam sive tragoedia ad libitum concinnata, in qua ficti nominis personae ludant, et post varios rerum mirabiles eventus, tandem ita concludatur Actus, ut eadem illa die, qua *Aman Mardochaeo*, ceterisque Judaeis necem paraverat, ipse, totaque ejus familia laqueo suspensa sit, omnesq. per totum Assueri Regnum Judaeorum hostes occisi. Quomodo enim intelligimus, aut Deum *Esther*, ceterisque Judaeis tantam sanguinis, ac vindictae sitim inspirasse, ut tot homines uno tempore interfice-

rent, aut Assuerum non modo permisisse, sed etiam praecepisse edicto, ut Judaei omnes inimicos suos privata vi, indicta caussa, occiderent, ex quo factum, ut septuaginta quinque millia virorum caesa sint? Nonne hoc ingentem universo Persarum regno perniciem, ac perturbationem attulisset? Sibi ipse praeterea contradicere videtur auctor, cum filios *Aman* occisos esse ait tertiadecima die mensis *Adar Cap.* IX., et tamen *Cap.* XVI. recitat Assueri edictum ante eam diem vulgatum, in quo ait, *Amani* filios jam fuisse in ligno suspensos. Accedit, quod edictum illud nequaquam Hebraici sermonis ingenium; sed Graecam plane redolet eloquentiam, et ita de Deo loquitur, ut a Judaeo aliquo Hellenista videatur confictum. Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad* 1m. Non ideo res aliqua cito est ad fabulas amandanda, quia mirabilem habuisse exitum visa est. Quid enim mirabilius, ne a sacra historia recedamus, vita, ac gestis *Josephi*, quem fratres odio, atque invidia tabescentes primum in cisternam veterem miserunt, deinde Ismaelitis vendiderunt, Deus tamen ex mancipio totius Ægypti Rectorem ac veluti Regem fecit, fratresque ipsi, qui vendiderant, adorare debuerunt? Plena est hujusmodi eventibus sacra, profanaque historia, in quibus Dei providentia superbiam, ac nequitiam scelestorum hominum mirum in modum confundere visa est. Ceterum manifestum videtur, non esse fabulosam libri *Esther* narrationem, eo quod non solum in eodem libro dicitur institutam esse annuam apud Judaeos sollemnitatem, qua ejus rei memoria celebraretur, sed etiam constat, revera eam sollemnitatem fuisse semper ab eisdem ad nostram usque aetatem celebratam. Haec enim festorum dierum institutio non fabulam, sed rem vere gestam demonstrat.

Ad 2m. Deus quidem vitae, ac mortis dominus justam iis poenam intulit, qui tot Judaeos homines innoxios trucidare paraverant, fecitque, ut in eorum caput recideret malum ipsum, quod in alios injustissime machinati fuerant. *Esther* ex divinae justitiae zelo fuisse incitatam, existimare debemus. Ceteri autem Judaei non solum ut divinae, sed etiam humanae justitiae ministros se gesserunt, postquam id Rex edicto vel imperavit,

vel permisit. Si qui vero inter ipsos privato odio servierunt, peccarunt illi quidem; sed Deus, qui malis bene utitur, etiam eorum malitia usus est ad justam contra inimicos suos severitatem exercendam.

Ad 3m. Non est mirum, *Assuerum* tot millium hominum permisisse caedem, cum persuasum illi esset, ut ex *Cap. XVI.* constat, *Aman*, ejusque fautores in id conjurasse, ut eum regio throno depulsum exauctorarent, atque interficerent, regnumq. ad Macedones, hoc est ad *Amani* ipsius familiam transferrent. Quanto autem ob eam rem furore percitum *Assueri* animum esse oportuit? Neque vero adeo fuit in profanis etiam historiis haec generalis in aliquo Regno caedes insueta, ut eam tamquam absurdam in sacrâ historia rejicere debeamus. Advertendum tamen est, numerum occisorum septuaginta quinque millium non esse adeo exploratum, ut certum sit, non esse librariorum mendum. Variant enim in eo numero exemplaria Scripturarum, cum Graecus textus habeat quindecim millia. Editio Complutensis decem millia; et trigintaquinque; qui numerus in vastissimo, ac populosissimo *Assueri* imperio sat modicus haberi potest.

Ad 4m. *Fevardentius* quidem putat, filios *Aman* post Assueri edictum fuisse occisos; sed verba illa, quae *Cap. XVI.* 18. leguntur: *Pro quo scelere ante portas hujus urbis, id est Susan ipse, qui machinatus est, et omnis cognatio ejus pendet in patibulis, non nobis, sed Deo reddente ei quod meruit*, ab auctore libri Esther, post factum adjecta esse edicto veluti parenthesi inclusa. Alii putant, filios *Aman* ante edictum fuisse una cum patre interfectos; sed eorum inhumata cadavera tertiadecima die mensis *Adar* fuisse suspensa. Alii aliter explicant. Ceterum ea edicti verba: *pendet in patibulis* significare possunt, eos jussu Regis fuisse jam patibulo destinatos, quamvis hoc tertiadecima, vel quartadecima die mensis Adar fuerit executioni mandatum.

Ad 5m. Quod ad stilum Edicti pertinet, fatemur, interpretem, qui illud ex originali in Graecum sermonem transtulit, sententias potius quam verba secutum ad Graeci sermonis ingenium omnia aptasse. Textus autem ejus edicti originalis, sicut et in nonnullis aliis

ejus libri partibus, hodie non superest. Quod vero Rex *Assuerus* in eo edicto de Deo recte loquatur, mirum videri non debet; tum quia ipse *Nabuchodonosor* apud *Danielem* saepe de Deo recte loquitur, cujus potentiam agnoscere ipsa miraculorum evidentia coactus est; tum quia probabile est, *Assueri* edictum a *Mardochaeo*, qui primas apud Regem obtinuerat, fuisse compositum.

Objic. XVI. Fatetur *Hieronymus*, nonnulla esse in libro *Esther* aliena manu, humanoque igenio assuta. Ergo.

℟. *Dist. ant.* In editione antiqua, *conc.* In ea, quam ipse emendavit, quaque hodie Ecclesia utitur, *neg.*

Objic. XVII. *cont. Librum Sapientiae Sap. VIII.* 20. Ait auctor *Cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Atqui ea verba duos contra catholicam fidem continere videntur errores: primum quidem *Origenis*, quo docebat, animas ante corpora creatas in corpora subinde immitti: alterum vero Pelagianorum, qui peccatum originale negant. Ergo.

℟. *Neg. min.* Quod enim pertinet ad errorem *Origenis*, non ait auctor, animam prius extitisse, deinde in corpus immissam esse; sed duabus explicari rationibus solet ab interpretibus. Primum hoc sensu: Magis cum essem bonus (ita enim Graecus habet textus) corporis etiam munditiem, et puritatem consecutus sum Dixerat enim superiori versiculo: *Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam.* Ne quis autem putaret ex eo, quod ingeniosus erat, ideo sortitum esse animam bonam; id veluti corrigens in sequenti versiculo: imo potius inquit, cum essem bonus, idest cum anima Dei dono bona esset, ad corporis munditiem perveni. Unde subjungit: *Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiae, scire cujus esset hoc donum: adii Dominum et deprecatus sum illum.* Vel si illud *magis*, ut in Vulgata versione sonat, cum nomine ipso *bonus* velis conjungere, adhuc eadem sententia constat: Cum magis, magisque in dies bonitate proficerem, ad id perveni, sive id consecutus sum ut corpus etiam incontaminatum haberem. Ita *Tirinus*, *Malvenda*, *Menochius*,

Bossuetus eum explicant locum. Alii vero venire ajunt suo quodam modo animam ad corpus cum in corpore ipso creatur; non quod ante corpus extiterit, sed quod cum creatur corpori conjungitur.

Quod vero ad errorem Pelagianorum attinet, nullo modo hac Sapientiae sententia fulciri potest. Nam si priorem sequaris sensum, qui verisimilior videtur; patet, eo in loco non de prima hominis conceptione, aut nativitate agi, sed de profectu virtutum, ex quo corpus incontaminatum, hoc est corporis puritatem se consecutum esse; sapiens profitetur; nec de peccato originali loquitur. Si vero sequi velis sensum alterum, quo dicitur, animam bonam corpori incoinquinato conjunctam esse, non hinc concluditur, peccatum originale nullum esse. Non enim de morali illa bonitate, quae ab omni peccato immunis est, ea verba sunt intelligenda, sed de bona quadam indole, ac propensione naturae, quae non adeo ad vitia proclivis est, et ad virtutes facile informari potest. Ait igitur sapiens animam quidem suam bonae fuisse indolis, corpusque ipsum ad castitatem aptum, atque ab impuris libidinibus alienum. Hoc autem nequaquam peccatum originale tollit.

Objic. XVIII. Non levem habet difficultatem, quod legitur *Sapient. XII.* 10. *Dabas*, (Domine) *locum poenitentiae, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, et naturalis malitia eorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* Primum enim quo pacto naturalis hominum malitia dici potest, nisi ex sententia Manichaeorum? Deinde nonne ista sibi mutuo contraria sunt; dare locum poenitentiae iis quorum naturalis esse affirmatur, atque immutabilis malitia? Ergo.

℟. *Neg. ant.* Primo enim naturale dicitur non solum quod ex rei natura, ejusque proprietatibus ortum habet, verum etiam quod, vel ab ipsa nativitate inest, sicut ait Apostolus *Ephes. II.* 3. *Eramus natura filii irae*; vel longa consuetudine pro natura inolevit, quo sensu vitium diuturno habitu plurimisque actibus roboratum altera natura dici solet. Ait igitur Sapiens, hominum illorum, de quibus ibi loquitur naturalem fuisse malitiam, tum quia eorum natura originali peccato

corrupta in malum prona erat; tum quia longa peccandi consuetudine, vitium quasi altera natura inoleverat. Deinde quod ad alterum caput attinet, non sunt ista contraria dare locum poenitentiae, et non posse mutari cogitationem peccantis, si quo sensu mutari non possit, intelligatur. Duplici enim ratione id explicari potest; primo quidem quia mutari non potest naturae viribus, licet mutari possit gratia Dei; quam gratiam saltem, *sufficientem* tribuens Deus dat poenitentiae locum, unde subjungitur in eodem Sapientiae *Cap. XII.* 20. *Dans tempus, et locum, per quae possent mutari a malitia.* Deinde *potest*, inquit Estius, *et aliter responderi*; *et, ut apparet, convenientius ad locum praesentem. Quod enim ait*: Non poterat mutari cogitatio illorum, *intelligendum est non de eo, quod absolute est impossibile, sed de eo, quod admodum difficile est.* Cujus rei varia ex Scripturis exempla profert; nosque etiam non pauca *Lib. VII.* variis in locis produximus. Cum igitur immutabilis illa cogitatio ex culpa esset ipsorum hominum, atque ex ipsa eorum voluntate in malo obfirmata, recte Deus illis etiam servabat poenitentiae locum.

Objic. XIX. *Sap. XIV.* 15. haec ponitur idololatriae origo: *Acerbo*, inquit, *luctu dolens pater cito sibi rapti filii fecit imaginem, et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, tunc tamquam Deum colere coepit, et constituit inter servos suos sacra, et sacrificia. Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est.* Atqui ex communi historicorum testimonio primum idolum fecit *Ninus Beli* filius, statuam scilicet ejus patris. Ergo. etc.

℟. *Trans. min.* quae negari posset, cum quidquid contra libros sacros historici narrant, tamquam falsum repudiari debeat, *neg. cons.* Quamvis enim *Ninus* primus statuam *Beli* publice posuerit; non inde sequitur, non potuisse privatim patrem aliquem, morte filii contristatum, statuam ejus domi habere, et colere, antequam haec publica idololatriae initia ad exemplum privatae idololatriae constitui inceperint.

Objic. XX. cont. Lib. Eccli. In ipso Ecclesiastici *Prologo* ait auctor : *Nam in octavo, et trigesimo anno temporibus Ptolemaei Evergetis Regis postquam perveni in Ægyptum* Atqui hic manifestus numerorum error videtur esse, cum constet ex *Eusebii* Chronico, *Ptolemaeum Evergetem*, nonnisi sex, et viginti regnasse annis. Ergo.

℟. *Neg. min.* Ait enim auctor factum esse, id quod scribit, *octavo, et trigesimo anno temporibus Ptolemaei Evergetis Regis*, non autem octavo, et trigesimo anno *Ptolemaei Evergetis*, ut male *Robertus Stephanus*; et *Junius* hunc locum ediderunt. Significat ergo auctor id accidisse vel tricesimo octavo anno vitae suae, regnante Ptolemaeo Evergete, vel tricesimo octavo anno, ex quo in Ægyptum venerat, vel tricesimo octavo anno, ex quo Ptolomaeus Philadelphus regnum auspicatus erat, vel ex quo libertatem Hebraeis, qui in Ægypto erant, concesserat, vel tricesimo octavo anno Jubilaei. Unaquaeque enim ex his sententiis patronos habet viros doctos. Neque verisimile est, nos melius perspexisse annos *Ptolemaei Evergetis*, quam auctorem *Ecclesiastici*, qui regnante *Evergete* scripsit. Non est quidem apud omnes Theologos exploratum, utrum Ecclesiastici *Prologus* canonica Scriptura sit; sed una haec numerorum difficultas, quamvis daremus, eos esse mendosos, non satis esset ad eum rejiciendum; cum in ipsis canonicis libris irrepere potuisse in rebus levioribus menda ex amanuensium incuria, saepe dixerimus.

Objic. XXI. *Eccli. I.* 16. Videtur auctor originale peccatum negare. Ait enim : *Timor Domini ... cum fidelibus in vulva concreatus est.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* Esse enim habitum aliquem vel bonum, vel malum alicui in vulva concreatum, phrasis est et in communi hominum usu, et in sacris litteris non insueta, ad significandum habitum ab infantia acquisitum, sicut in *Psal. LVII.* habetur : *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa*, et in hoc ipso *Eccli.* Libro *Cap. XI.* 16. *Error, et tenebrae peccatoribus concreata sunt*; aut indolem quamdam animi vel bonam, vel malam, quam aliquis a nativitate habuit; sicut et similem locum *Sap.* VIII. 20. supra explicavimus.

Objic. XXII. Quod legimus *Eccli. VIII.* 8. *Omnes morimur, et in gaudium nolumus venire*, absurda videtur esse sententia, cum unusquisque in gaudium, ac beatam vitam pervenire cupiat. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Ex antecedenti enim orationis membro, ejus, quod objectum est, sententia explicatur. Dixerat enim Sapiens: *Noli de inimico tuo mortuo gaudere.* Tum rationem ejus praecepti subjiciens ait: *sciens quoniam omnes morimur, et in gaudium nolumus venire*, hoc est nolumus alios de interitu nostro gaudere. Sensus itaque est: Sicut omnes nos mortales sumus, et nolumus de morte nostra gaudere inimicos; ita et tu noli de inimico tuo mortuo gaudere. Quod enim tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

Objic. XXIII. *Eccli. XII.* 4. *Da*, inquit, *misericordi* (sive justo, ac pio homini) *et ne suscipias peccatorem.* Atqui hoc contrarium videtur Christi praecepto *Matth. V.* 44. *Benefacite his, qui oderunt vos* . . . . . *ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos; et pluit super justos, et injustos.* Ergo.

℟. *Neg. min.* Verba enim illa: *ne suscipias peccatorem*, non significant, nunquam ei esse opem ferendam cum id charitas postulat, sed non esse cum eo ineundam societatem, atque amicitiam, neque esse adjuvandum, cum adjutorio nostro vel contra nos ipsos, vel contra Deum abusurus esse videtur.

Objic. XXIV. *Eccli. XIV.* 14. *Non defrauderis*, inquit, *a die bono; et particula boni doni non te praetereat.* Atqui hoc ad voluptatem explendam videtur pertinere, ita ut non patiaris tibi occasionem elabi, etiam minimam, fruendi bonis vitae hujus. Ergo.

℟. *Neg. min.* Duplici enim sensu verba illa intelligi, atque explicari possunt; primo quidem, ut non patiaris elabi diem, neque occasionem bene faciendi. Deinde ne propter avaritiam bona tibi honesta neges. Qui quidem posterior sensus magis videtur sequentibus verbis congruere. Subdit enim Sapiens: *Non ne aliis relinques dolores, et labores tuos in divisione sortis?* Damnat igitur sordidam avarorum parsimoniam, qua res etiam bonas, atque honestas studio servandae, augendaeque pecuniae, sibi ipsi crudeliter interdicunt, nescientes, se eas brevi here-

dibus suis relicturos, qui non solum non habebunt pro beneficio gratiam, sed avari ipsius hereditatem brevi tempore dissipantes, ipsum spernent, et irridebunt.

Objic. XXV. *Eccli.* *XL.* 29. Ait auctor. *Fili, in tempore vitae tuae, ne indigeas; melius est enim mori, quam indigere.* Videtur autem haec sententia Evangelio esse contraria, in quo paupertas, et omnium rerum temporalium egestas, tamquam humilitatis magistra, regnique caelorum consequendi ratio, commendatur. Ergo.

℟. *Neg. min.* Eos enim in laudato *Ecclesiastici* loco Sapiens reprehendit, qui prae inertia malunt mendicare, quam aut opes divinitus sibi datas adhibita diligentia servare, aut laborando victum quaerere. Sic enim Graecus habet textus: *ζωην επαιτησεως μη βιωσης*, hoc est *cave ne mendicato vivas.* Qui enim tabescere otio, et mendicato vivere prae inertia amant, multis etiam vitiis passim obruuntur, multisque objiciuntur tentationibus. Contra vero in Evangelio non laudatur quidem ignava illa mendicitas, quam merito redarguit *Ecclesiasticus*, sed commendatur animus ab omni divitiarum, rerumque temporalium cupiditate vacuus, damnatur avaritia; et ne quis egestatem non otio, atque inertia arcessitam, sed divinitus immissam, gravius ferat, promissione Regni caelestis erigitur. Neque vero his *Ecclesiastici* verbis reprehenduntur ii, qui non ex ignavia, sed ut Evangelicae perfectionis viam ingrediantur, laborantes in Ecclesia Dei, mendicare malunt, quam debita a fidelibus pro sua sustentatione stipendia reposcere. Quod autem ait Sapiens, melius esse mori, quam mendicare, de ignava illa mendicitate, de qua supra diximus, per *hyperbolem* dictum intelligendum esse, recte *Estius*, aliique advertunt.

Objic. XXVI. *Eccli.* *XLI.* 7. *Non est*, inquit, *in inferno accusatio vitae.* Atqui fide constat, improbos homines in inferno anteactae vitae poenas luere, idque auctor libri *Sapientiae Cap.* *V.* fuse describit. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Verba enim illa: *Non est in inferno accusatio vitae*, non significant, quod in argumento positum est, nullam esse in inferno anteactae vitae reprehensionem, sed ex antecedentibus explicanda sunt. Dixerat enim paulo ante Sapiens: *Noli metuere judicium mortis: Memento quae ante te fuerunt, et quae superventura sunt*

tibi : hoc judicium a Domino omni carni et quid superveniet tibi in beneplacito Altissimi, sive decem, sive centum, sive mille anni; hoc est, ne plus aequo mortem timeas, cui omnia viventia subjecta sunt, neque sollicitus sis, quantum tibi vitae in beneplacito Altissimi supersit. Tum subjungit: *Non enim est in inferno accusatio vitae*; hoc est ut idem explicat *Estius*, nihil refert post mortem sive parum, sive multum vixeris, modo bene vivere studueris. Vel ex *Malvendae* sententia ita explicari ea verba possunt : Non est adversus infernum excusatio, sive defensio vitae; ideoque frustra sollicitum te habet vitae tuae diuturnitas, quam adversus ingruentem mortem defendere nulla ratione poteris.

Objic. XXVII. *Eccli L* 21. in editione LXX. sic habetur : *Et rogavit populus Dominum Excelsum in oratione contra misericordem*; quod Vulgatae versionis auctor videns esse absurdum, emollivit, atque a sententia textus originalis abscessit. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et verba illa *contra misericordem*, significant, quod opinantur adversarii, nempe *adversus hominem misericordem*, *neg*. Significant, Deum esse excelsum, *et contra*, idest *et tamen*, et *nihilosecius misericordem*, *conc.*

Objic. XXVIII. *cont. Lib. Machabaeorum. 1. Mach.* I. 1. de Alexandro Macedonum Rege dicitur: *Qui primus regnavit in Graecia.* Atqui hoc falsum est, cum ante Alexandrum reges in Graecia fuerint; neque solum in Macedonia, sed et Athenis, Argis, Thebis, Lacedaemone. Ergo.

℟. *Neg. min.* Licet enim multi in Macedonia regnaverint ante *Alexandrum*, nemo tamen ante eum regnavit in Graecia universa. Pater enim ejus *Philippus* paulatim Graeciae Respublicas coepit sibi facere obnoxias; eoque mortuo *Alexander* Rex Macedonum, velut totius Graeciae princeps, imperium Graecorum constituit, et longe lateque protulit.

Objic. XXIX. In eodem Libro *Lib. I.* 11. *Antiochus Epiphanes* regnasse dicitur *in anno centesimo trigesimo septimo regni Graecorum.* Atqui initis rationibus ab *Alexandro* ad *Anthiocum Epiphanem*, centum, et quiquaginta septem anni sunt. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Et hic annus centesimus trigesimus sextus initium ducit a primo *Alexandri* anno, *neg.* *A Seleuco Nicanore*, qui primus post *Alexandrum* regnavit in Syria, unde incipit *Æra Seleucidarum*, seu regnum Graecorum juxta Hebraeorum morem, *conc.* Porro anno CXXXVI. *Ærae Seleucidarum*, *Antiochus Epiphanes* regno est potitus.

Objic. XXX. Ibidem *Cap. I.* 57. dicitur sub *Antiocho* impletum esse *Danielis* oraculum, positumque in templo *abominandum idolum desolationis*. Atqui abominationem desolationis a Daniele praedictam Christus ipse *Matth. XXIV.* 15. nondum positam fuisse ait, sed ponendam in eversione Judaeorum, et in fine mundi. Ergo.

℟. *Neg. mi.* Non enim ait auctor *Lib. I. Machabeorum*, tunc impletum esse *Danielis* vaticinium, quod nullo pacto dat: sed tamen positum in templo jussu *Antiochi* abominandum idolum, sive statuam Jovis Olympii, desolationem, sive pollutionem templi afferens.

Objic. XXI. I. *Machab.* IV. 52. Judas mundavit templum anno CXLVIII idest anno ante mortem *Antiochi*, qui obiit anno CXLIX. ut scribit auctor *Cap.* VI. 16 Contra vero *Lib. II. Mach.* X. 3. dicitur mundum templum biennio post mortem *Antiochi.* Manifesta ergo contradictio est.

℟. *Neg. a. quoad* 2*m. part.* Quod enim legitur *II. Machab.* X. 3. *Sacrificia obtulerunt post biennium*, non significat biennium post mortem Antiochi sed post *Judae* principatum. In praecedenti enim *Cap.* *IX.* ne interrumperet auctor narrationem mortis *Antiochi*, omnia simul refert, quae ad eam pertinebant. Deinde *Cap.* X. ad Judam, ejusque gesta redit, aitque post biennium mundasse templum. Quamvis igitur id scribat post narratam *Antiochi* mortem; non tamen asserit post mortem *Antiochi* contigisse.

Inst. I. Machab. I. 57. legitur, *Antiochum* contaminasse templum *die decima quinta mensis Casleu.* Rursus *I. Machab.* IV. 52. *et II. Machab.* X. 5. sic habetur: *qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit, eadem die purificationem fieri*

vigesima quinta mensis, qui fuit Casleu. Ergo perspicua videtur rerum repugnantia.

℟. *Dist. ant. quoad 1m. part.* Legitur, *Anthiochum* contaminasse templum *die decimaquinta mensis Casleu* per erectionem idoli, *conc.* Per oblationem sacrificii, quae consummatio contaminationis fuit, *neg.* Ait enim *I. Mach. I: 62. Et quinta, et vigesima die mensis sacrificabant super aram, quae erat contra altare.*

Objic. XXXII. I. Machab. IV. 50. Postquam Judas templum a gentibus pollutum mundavit, *aedificaverunt* (Judaei) *in tempore illo montem Sion, et per circuitum muros altos, et turres firmas, ne quando venirent Gentes, et conculcarent eum; sicut antea fecerunt.* Constat autem, Arcem Sion quam *Antiochi* milites occupaverant, *I. Machab. I.* 35. adhuc in eorum potestate fuisse, neque a Judeis potuisse expugnari, sed longo post tempore, anno centesimo septuagesimo primo fame hostes cogente in deditionem acceptam *I. Machab. XIII.* 50. Ergo falsum videtur, montem Sion a Juda muris, ac turribus fuisse munitum.

℟. *Neg. cons.* Imo quia arx ipsa Sion adhuc in hostium potestate erat, contrarias munitiones aedificavit Judas, ut hostium ex arce excursiones compesceret.

Objic. XXXIII. *I. Mach.* VI. Dicitur *Antiochus* ex Perside in Babyloniam reversus, auditis Judaeorum victoriis, prae tristitia in morbum incidisse, ex quo deinde mortuus est, *quia* scilicet, *non factum est ei sicut volebat.* Contra vero *II. Mach. I.* 16. Antiochus occisus dicitur in Perside in templo *Naneae*, deceptus a Sacerdotibus. Et *II. Machab. IX.* 7. mortuus esse scribitur partim diro viscerum dolore, partim quod e curru deciderat. Quis autem tam felix ingenio, qui ista conciliet? Ergo.

℟. *Neg. min.* Facile enim secum invicem cohaerent, quae variis in locis de morte *Antiochi* leguntur, si intelligamus, circumstantias quasdam, quae uno in loco praetermissae fuerant, narrari in alio. *Antiochus* igitur auro inhians, quod in templo *Neneae* in Perside, sive in Media erat, eo profectus est, ut templum expilaret *I. Mach.* VI. 1. *et seq.* sed fraude Sacerdotum ingressus in templum cum militibus, ibi foribus

templi clausis, introductis per occultos aditus viris audacibus, lapidibus oppetitus est, multique ejus milites occisi *II. Mach. I.* 16. Ideo *percussus* dicitur in templo *Naneae*, quamvis ipse, accepta illa clade, vel effractis foribus, vel qua alia via evaserit, a militibus defensus. Familiare enim est historicis, ut ducem ipsum caesum esse, cecidisse scribant, cum ejus caesus est exercitus. Ab eo igitur periculo vix eductus, cum ex Perside, sive Media in Babyloniam turpiter reverteretur, auditis in itinere rebus male a ducibus suis in Judaea gestis gravi tristitia, morboque correptus, cum tamen iter maturari juberet *II. Machab. IX.* 7. e curru decidit, quo casu gravissimis correptus doloribus, scatens sanie, ac vermibus in ipso itinere, sive *in terra aliena* periit *I. Machab. VI.* 13. Ex quibus intelligimus, verba illa *I. Machab.* VI. 4. *Reversus est in Babyloniam*, idem valere, ac si dictum esset: *cum reverteretur.*

Objic. XXXIV. I. *Mach.* VI. 16. mortuus dicitur *Antiochus Epiphanes anno centesimo quadragesimo nono*: et tamen filius ejus *Antiochus Eupator* post mortem patris Epistolam scribit anno centesimo quadragesimo octavo *II. Machab. XI.* 33. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Cum enim varium esset variis in nationibus anni initium, qui annus Judaeis erat centesimus quadragesimus nonus, idem Graecis, et Antiochensibus erat centesimus quadragesimus octavus. Quippe Judaei a mense *Nisan*, sive Martio, vel Aprili; Graeci a mense *Tisri*, sive Septembri, vel Octobri exordiebantur annum.

Objic. XXXV. *I. Machab.* VI 42. Commisso a Judaeis praelio, *ceciderunt*, inquit, *de exercitu Regis sexcenti viri*, quo in exercitu fuisse dicuntur centum millia peditum, viginti millia equitum et Elephanti triginta duo. Additur vero in eodem Capite Regem ipsum hortatu *Lysiae* cum Judaeis inivisse pacem; *Sed intravit*, inquit, *Rex montem Sion, et vidit munitionem loci, et rupit citius juramentum, et mandavit destruere murum in gyro.* Contra vero *II. Machab. XIII.* in eodem praelio cecidisse dicuntur de regio exercitu quatuor millia virorum; exercitus autem ille habuisse dicitur centum, et decem millia peditum, quinque mil-

lia equitum, et Elephantos viginti duos. Rex autem *ut cognovit, rebellasse Philippum Antiochiae, qui relictus erat super negotia, mente consternatus, Judaeos deprecans, subditusque eis, jurat de omnibus, quibus justum visum est, et reconciliatus obtulit sacrificium, honoravit templum, Machabaeum amplexatus est*, neque ulla ibi violati jurisjurandi mentio est. Non igitur secum consentiens videtur Machabaeorum historia.

℟. *Neg. cons.* Quod enim pertinet ad occisorum numerum advertendum est in *I. Machab.* VI. non omnes recenseri eos, qui de exercitu regio in acie ceciderunt, sed eos tantum, quos Judas primo impetu stravit. *Et appropiavit*, inquit, *Judas, et exercitus ejus ad praelium, et ceciderunt de exercitu Regis sexcenti viri*: deinde describitur mors *Eleazari*, et reliquus occisorum numerus praetermittitur; qui in *II. Machab.* dicitur esse quatuor millium. Numerus autem regii exercitus in primo, et secundo Machabaeorum libro varius est, vel quia accedentibus, ut fieri solet, novis copiis, aut parte exercitus in alias expeditiones missa, variabat numerus, vel quia in alterutro loco mendum librariorum est. Quod vero ad Regis perfidiam attinet, juravit ille quidem, ut in *II. Machab. XIII.* habetur, omnia quae justa erant, templum honoravit, Machabaeum amplexatus est, una tamen illa in re jurisjurandi fidem violavit, quod munitionem destrui jussit. Ita secum Machabeorum historia congruit.

Objic. XXXVI. *I. Machab. IX.* 3. *et* 18. Judas narratur occisus anno CLII. et tamen II. *Machab.* I. 10. Epistola nomine etiam Judae missa est ad Judaeos Ægyptios anno CLXXXVIII. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Et Judas de quo *II. Mach. I.* 10. non est Judas ille Machabaeus, qui occisus dicitur *I. Mach.* IX. 19. sed alius *Judas Essenus*, de quo Josephus *Lib. XIII. Antiq. Cap.* 18. *conc.* Idem ille est, *neg.* Ita sentiunt Serarius, Calmetus, Tirinus, Menochius etc. *in Machab.* Salianus *ad an.* 3930. Respouderi etiam posset, verba illa *II. Machab. I.* quae annum designant CLXXXVIII. non esse initium Epistolae a *Juda* scriptae, sed finem praecedentis Epistolae a toto populo Ju-

daeorum, duce *Joanne Hircano*, conscriptae: quae sententia *Melch. Cani*, et *Bellarmini* est.

Objic. XXXVII. *I. Machab. XI.* 34. Oscitantia quaedam Scriptoris apparet. Ait enim, *Statuemus ergo illis omnes fines Judaeae, et tres civitates Lydan, et Ramethan, quae additae sunt Judaeae ex Samaria.* Ubi vides duas tautum recenseri civitates, et tamen auctor tres esse scribit. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Supplenda enim est ex Graeco textu tertia civitas, quae in Vulgata deest, diciturq. *Aphaerema* αφαιρεμαν, και λυδδαν, και ραμαθεμ, *Aphaeremam, et Lyddam, et Ramatham.*

Objic. XXXVIII. *II. Machab.* 1.9. Sic fratribus suis in Ægypto manentibus scribunt: *Frequentate dies Scenopegiae mensis Casleu*, qui nonus erat mensis, sive fere Novembris. At ex Libro *Exodi* ac *Levitici* perspicuum est *Scenopegia*, sive festum tabernaculorum mense *Tizri*, sive Septembri celebrandum fuisse. Ergo.

℟. *Neg. cons. Scenopegia* enim, sive festum, quod Judaei mense *Casleu* celebrandum monent, non erat festum tabernaculorum, quod mense *Tizri* celebrandum erat, sed sollemnitas alia, qua Judaei reconciliationem templi, et veluti novam dedicationem, post fugatos Antiochi exercitus, quotannis celebrare instituerunt; quae sollemnitas quia iisdem ferme ritibus, quibus festum tabernaculorum celebrabatur, eodem appellata est nomine *Scenopegia*, ut omnes passim observant Interpretes.

Objic. XXXIX. *II. Machab. I.* 19. asseritur, Judaeos captivos ductos fuisse in Persidem, cum tamen certissimum sit ex *Lib.* IV. *Reg.* eos ductos fuisse Babylonem, sive in Assyriam. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Nomine enim *Persidis* intelligit auctor omnes eas regiones, quas imperio suo Persae subegerunt, scilicet Assyriam, Mediam, Parthiam. Unde etiam Chrysostomus *Hom.* VI. *in Matth.* ait. *Judaeos fuisse ex captivitate Persica liberatos.*

Objic. XL. *Mach.* VIII. 16. de Romanis dicitur: *Et committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universae terrae suae.* Atqui hoc historiae Romanorum repugnat. Quippe exactis Regibus, duo consules quotannis creabantur. Praeterea *I. Machab.*

XII. asseritur, Judaeos, atque Spartanos eandem habuisse ex Abrahamo originem, quod falsum est. Ergo.

℟. *Neg. min.* 1.° Quamvis enim duo consules quotannis Romae crearentur; tamen alternis diebus, vel mensibus imperium penes unum erat. 2.° Non refert ibi auctor rem, ut erat apud Romanos in usu, sed ut a Juda fuerat audita. *Et audivit*, inquit, *Judas nomen Romanorum etc.* 3.° Unus ordinarie consul, vel proconsul in Provincias proficiscebatur. Quod autem addebatur de communi Spartanorum, et Judaeorum origine, quamvis daremus, quod tamen non concedimus, falsam esse, non inde fieret, falsa narrare Sacrum scriptorem, qui refert tantum, Spartanos epistolam misisse ad Judaeos, qua se profitebantur ex *Abrahamo* descendere Judaeosque cum ipsis inivisse societatem, sicut etiam cum Romanis; utrum autem vera esset ea Spartanorum persuasio, ad rem non pertinebat. Sed nos non concedimus, falsum esse, Lacedaemones ex *Abrahamo* duxisse originem; cum *Abraham* alias habuerit uxores, ex quibus prognati esse potuerunt, qui primum in Lacedaemoniam profecti sunt. Quae quidem origo, etsi nunc incerta nobis, atque obscura, certa tamen, atque explorata Spartanis esse debuit, manentibus adhuc apud ipsos monumentis, ac gentis suae originibus. Haec responsio omnem argumenti vim, ac robur infringit. Ceterum qua ratione haec Spartanorum, ac Judaeorum constet origo communis, varie explicant eruditi, quorum sententias Calmet peculiari *Dissertatione* expendit *De cognatione Judaeorum et Lacedaemonum.*

Objic. XLI. *II. Machab. II. 4.* asseritur, Jeremiam Prophetam tulisse arcam Domini, et tabernaculum, et altare incensi, eaque omnia abdidise in spelunca, quam invenit in monte *Nebo*, ubi mortuus est *Moyses*, obstructoque speluncae ostio, praedixisse, ignotum omnibus futurum eum locum, et arcam etc. donec Deus congregaret iterum populum suum. *Erat autem*, inquit, *in ipsa scriptura* (Jeremiae) *quomodo tabernaculum, et arcam jussit propheta, divino responso ad se facto, comitari secum, usquequo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, et vidit Dei hereditatem; et veniens ibi Jeremias invenit locum speluncae, et tabernaculum,*

et arcam, et altare incensi intulit illuc et ostium obstruxit . . . . et dixit, quod ignotus erit locus donec congreget Deus congregationem populi, et propitius fiat. Et tunc Dominus ostendet haec, et apparebit majestas Domini. Atqui haec falsa videntur. 1.° enim *Jeremias* tabernaculum, arcam etc. transferre non potuit ante captam Jerusalem, cum in carcere esset; neque post eam captam, cum Chaldaei omnia vel incenderint, vel rapuerint 2.° Reversis Jerusalem Judaeis, nec arcam iis nec tabernaculum ostendit Deus. Ergo.

℟. *Neg. min. Ad* 1m. Potuit quidem *Jeremias* illa transferre antequam in carcerem mitteretur, et quidem regnante *Jechonia*, ut putat *Natalis Alexander*, idque Rege ipso consentiente, ne imminente jam urbis direptione, sacra illa monumenta infidelium ludibrio objicerentur. Sed verisimilius opinantur *Dorotheus, et Epiphanius in vita Jeremiae, S. Thomas* vel quivis auctor *Comment. in II. Machab. Serarius, Calmet, Tirinus, Salianus, Torniellus*, et alii, factum id post captam a *Nabuchodonosore* Jerosolymam. Quippe *Nabuzardan* princeps exercitus Chaldaeorum summo honore *Jeremiam*, jussu *Nabuchodonosor*, est prosecutus, ut ex *Jerem. XXXIX.* 11. perspicuum est. *Praeceperat autem*, inquit, *Nabuchodonosor Rex Babilonis de Jeremia Nabuzardan magistro militum dicens, tolle illum, et pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias, sed ut voluerit, sic facias ei.* Quapropter non est credibile, prophetam sanctissimum de arca et tabernaculo sollicitum, ea Regis indulgentia non fuisse usum, ut ea tolleret, ac servaret, praesertim cum Caldaei non illa religionis monumenta curarent, sed unice inhiarent auro, atque argento, neque inter sacra instrumenta a Chaldaeis ablata numeretur Arca, et tabernaculum, quamvis minima quaeque describantur *Jerem. LII. et Esdrae I.* Et certe satis intercessit temporis inter urbem captam, et templi incendium quo *Jeremias* hanc a rege veniam postulare posset.

Ad 2m. Nonnulli quidem existimarunt, revera postquam Judaei Jerosolymam reversi sunt, templumque restituerunt, Arcam et Tabernaculum fuisse inventa. Sed alii verisimilius negant, eo quod *Jeremiae* verba non de

materiali Arca in templo collocanda, sed spiritali Arca novi Testamenti intelligunt; qua de re vide eruditam Calmeti *Dissertationem*: *An Arca foederis restituta sit Templo post captivitatem Babylonicam.* Non ergo falsus est auctor *Lib. II. machabaeorum* scribens, Arcam ex *Jeremiae* vaticinio restituendam, *cum Deus congregaverit congregationem populi*; haec enim congregatio non tunc facta est cum Judaei Babylone redierunt, sed in novo Testamento, cum Jesus *filios Dei*, *qui erant dispersi*, *congregavit in unum Joan. XI.* 51.

Objic. XLII. Auctor *Lib II. Machab. Cap II.* 24. ingenue fatetur, se ex quinque libris *Jasonis Cyrenaei* summo labore, multisque vigiliis, ac sudoribus opus illud brevius elaborasse; et *Cap. ult*: veniam petit, si minus digne scripserit *Item*, inquit *Cap. II* 24. *ab Jasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa, tentavimus nos uno volumine breviare. . . . Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum, et sudoris assumsimus . . . , veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes.* Et concludit opus *Cap.* 39. illis verbis: *Et si quidem bene, et ut historiae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi.* Non ergo fuit divinitus inspiratus auctor, sicut nec libri *Jasonis Cyrenaei*, unde materiam mutuatus est, tautoque labore digessit.

℟. *Neg. cons.* Dei enim inspiratio non excludit legendi, meditandi, ordinandique sermonis studium, praesertim posita eorum sententia Theologorum, qui verborum delectum sacris Scriptoribus permissum esse contendunt, ut *Lib. II. Cap.* 3. §. 1. diximus, exceptis illis locis, quae subliniora fidei mysteria continent. Et quamvis humana industria libris *Jasonis Cyrenaei* conscripti essent, non hinc efficitur, ut Deus non inspiraverit ea inde seligere, quae necessaria erant. Veniam autem non petit auctor alicujus erroris, sed eloquii, quod fortasse in aliquibus minus dignum rerum gestarum magnitudine delicatis hominum auribus videri posset: qui in divinis eloquiis, non rerum majestatem, sed verborum, ac stili venustatem quaerunt. Quod autem ait:

Veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, non significat auctorem non habuisse veritatis rationem, sed secundum Graeci textus sententiam, Historicis reliquisse, ut res omnes singillatim persequantur se tamen summa rerum capita, quae necessaria visa essent, brevius exposuisse, ita ut *veritas de singulis* nihil aliud ibi, nisi exquisita singularum rerum narratio sit.

Objic. XLIII. *II. Mach III.* 4. Simon fuisse dicitur *de tribu Beniamin*, et tamen vocatur *praepositus templi*; imo *et* frater ejus Menelaus *II. Machab. IV.* summum Sacerdotium usurpavit. Haec autem nonnisi Levitis ex Aaronis familia contingere poterant. Falsa igitur narratio esse videtur.

℟. Quod ad templi praeposituram attinet; non haec unis commissa Levitis erat; cum civile officium esset, ad templi custodiam institutum Imo Praepositi illi militarem etiam manum ad templi custodiam habebant, ut ex variis Scripturae locis constat. Vide Sigonium *de Repub. Hebr. Lib. VII. Cap.* 13. *Menelaus* vero, vel ideo frater *Simonis* dicitur, quia cognatus ejus erat ex materna familia, quamvis ex paterna esset ex tribu *Levi*; vel si revera germanus *Simonis* erat, ex tribu *Benjamin*, impie Sacerdotium pecunia comparavit, a quo statim depulsus est; ut in eodem habetur *Lib. II. Machab. Cap. IV.*

Objic. XLIV. *II. Machab. VIII.* 1. Judas Machabaeus sex millia virorum in exercitu habuisse dicitur. In eodem tamen capite v. 16. ait auctor: *Convocatis itaque Machabaeus septem millibus qui cum ipso erant.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Vel enim in *v.* 16. pro *septem millibus*, *sex millibus* legendum est, sicut revera Graecus habet textus, vel putandum est, sex millibus iis, quos primo collegerat Judas, alios subinde accessisse, qui exercitum auxerunt.

Objic. XLV. Celebris est locus *II. Machab IX.* 13. *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Atqui hoc divinae bonitati repugnat; qui per prophetam ait *Ezech. XVIII.* 21. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis .... Vita vivet, et non morietur; omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Ergo.

℞. *Neg. min.* Non enim vera illa *Antiochi* poenitentia fuit, quem non culpae poenitebat, sed malorum, a quibus se liberari cupiebat. Ideoque dicitur orasse Dominum, sed nihilominus simul fuisse scelestus: *Orabat hic scelestus Dominum.*

Objic. XLVI. *II. Machab. XII.* 43. Laudatur *Judas quod facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jeresolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.* Atqui hoc Protestantes asserunt, esse superstitiosum, ac vanum; eaque praecipue ratione ab hoc Scripturarum Libro ipsi abhorrent. Ergo.

℞. *Neg. cons.* Non enim vana, et superstitiosa, sed *sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Quod non solum ex hoc *Machabaeorum* libro, in quo insignia ea *purgatorii*, et resurrectionis mortuorum testimonia sunt, sed ex perpetua Ecclesiae praxi vel a primis saeculis deducta, perspicuum est; ut in Dissertatione *De Indulgentiis* diximus aliquanto fusius, et copiose a *Bellarmino*, aliisque Polemicis disputatum est.

Inst. Saltem illicitum est sacrificia offerre, atque orare pro iis, qui in peccato mortali defuncti sunt. Atqui tales erant ii, pro quibus Judas sacrificia offerri voluit. Sic enim de iis habetur II. *Machab.* XII. 40. *Invenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quae apud Jamniam fuerunt, a quibus lex prohibet Judaeos.* Ergo.

℞. *Dist. maj.* Si eos in peccato mortali defunctos esse, certum sit, *conc.* Secus, *neg.* Pie igitur putavit Judas, eos qui vitam suam pro religione, ac Dei legibus morti objecerant, vel non graviter, sed ex ignorantia peccasse, vel peccati ante mortem poenituisse, quod quidem nos quoque ut existimemus, charitas postulat.

Objic. XLVII. *I. Machab. VI.* 43. laudatur *Eleazarus*, et *II. Machab. XIV.* 41. laudatur *Razias*, qui semetipsos interfecerunt, quod quidem apud Gentiles usitatum Christiana Religio, et lex naturae vetat. Ergo.

℞. *Neg. ant. Eleazarus* enim non semetipse interfecit, sed videns in media hostium acie Elephantem, Re-

giis ornatum insignibus, putansque ibi esse regem ipsum in medios ruit hostes, donec ad Elephantem pervenit, eoque occiso, sub ipsa bestiae mole peremtus est. De *Razia* vero inquit Augustinus *Ep. CLXX. al. LXI.* hominem quidem fuisse laudatum; *factum tamen ejus narratum est, non laudatum . . . Non ergo fuit iste vir eligendae mortis sapiens; sed ferendae humilitatis impatiens. Scriptum est, quod voluerit nobiliter, et viriliter mori sed numquid ideo sapienter*? Vide S. Thomam 2a. 2ae. *Q.* LXIV. *art.* 5. et ibi *Sylvium.*

Objic. XLVIII. contra omnes libros deuterocanonicos V. T. atque aliquas *Danielis*, et *Estheris* partes, quod ab Judaeis, imo ab nonnullis veteribus Ecclesiae Patribus non habiti fuerint canonici. Sed hoc satis *Lib. II. Cap.* 3. §. 2. dissolvimus.

Objic. XLIX. *cont. Epist. ad Hebraeos.* Quidquid sit de auctore hujus Epistolae, quam non esse *Pauli* Apostoli, nonnulli opinati sunt veteres, imo et recentiores; non videtur sanam continere doctrinam. Nam 1.° de Verbi divinitate ambigue loquitur, cum dicat *Heb. I.* 3. *Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus*: splendor autem vel figura non ejusdem substantiae sunt cum eo, a quo derivant; additque, filium esse factum; *Tanto melior*, inquit, *Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit.* 2.° Lapsis in peccatum omnem adimit poenitentiae et locum, et spem. Ait enim *Heb. VI.* 4. *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti; gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam.* Et *Heb. X.* 26. *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam veritatis notitiam, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quaedam expectatio judicii, et ignis aemulatio.* Ergo.

℟. *Trans. ant. quoad.* 1m. *part.* scilicet quoad auctorem hujus Epistolae de quo in *Lib. II. Cap.* 3. §. 3. diximus, et fusius tractant *Bellarminus, Estius, Calmet etc. Neg. ant. quoad.* 2m. *part. Ad* 1m. mirum est adversarios auctorem hujus Epistolae criminari, quasi minus recte de Verbi divinitate senserit, cum ne-

mo fortasse illam expressit luculentius. Ait enim, Filium esse aeternum, Creatorem rerum omnium, aequalem Patri, ut in *Lib. IV.* advertimus. Quod ergo ait, esse splendorem gloriae, et figuram ejus substantiae, non more corporum intelligendum est, sed modo perfectissimo, hoc est de tali splendore, atque figura, sive charactere, qui perfectissime ipsam Patris substantiam repraesentet, quod fieri, nisi sit revera Patri *consubstantialis*, non potest; unde in eodem versiculo ait: *Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis .... sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* Quod autem ait: *tanto melior Angelis effectus*, non majorem habet difficultatem, quam quod de eodem ait Baptista *Joan. I.* 27. *Ante me factus est*, scilicet mihi praelatus; et quod ait Apostolus *Rom. I.* 4. *Qui praedestinatus est filius Dei*, scilicet, praedestinatum est ab aeterno, et factum in tempore, ut hic homo esset filius Dei, ideoque major Angelis. Vide Estium in *Comment.*

Ad. 2m. Non negat lapsis Apostolus poenitentiae locum, sed ait, partim impossibile esse, ut post baptismum alio renoventur sacramento, sicut in baptismo renovati fuerant; partim admodum rarum, atque difficile, ut qui in apostasiam lapsi sunt, seriam agant poenitentiam. Vide quae diximus *Lib. VIII. part.* 5.

Objic. L. *Hebr. II.* 14. Haec habet Auctor: *Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest diabolum.* Atqui absurdum videtur, diabolum mortis imperium habuisse, cum Deus in sacris litteris hoc jus et imperium sibi uni asserat *Eccli. XI.* 14. *Bona, et mala; mors, et vita; paupertas, et honestas a Deo sunt.* Deuteron. *XXXII.* 36. *Ego occidam, et ego vivere faciam.* Apoc. I. 18. *Ego habeo claves mortis, et inferni.* Ergo.

℟. *Dist. min.* Absurdum est, diabolum habere mortis imperium, eo sensu, quo illud sibi Deus asserit, scilicet absolutum, nullique subjectum, *conc.* Alio sensu, *neg.* Deus igitur supremus est rerum omnium arbiter, ac dominus, nec nisi ab ipso mors, ac vita pendent; ita ut nec passer cadat in terram sine eius voluntate. Dicitur tamen ab Apostolo diabolus mortis im-

perium habuisse, quia per peccatum, quod hominibus suggesserat, totum genus humanum morti obnoxium reddiderat, sibique subjectum justo Dei judicio tenebat, tamquam justitiae Dei minister, qui tamen nihil, nisi Deo permittente, poterat. Vide *Estium* in hunc Apostoli locum.

Objic. LI. In eadem Epistola sunt nonnulla, quae versus veritatem sacrae historiae pugnant. Nam 1.° *Cap. IX.* 4. dicitur in *sancto sanctorum* fuisse thuribulum aureum; cujus rei nullum in *Exodo*, aut in *Levitico* apparet vestigium. 2.° In arca fuisse dicitur *urna aurea habens manna, et virgam Aaron, quae fronduerat*, quod manifeste falsum esse constat ex *III.* Reg. *VIII.* 9. ubi legitur: *In Arca autem non erat aliud, nisi duae tabulae lapideae; quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus foedus cum filiis Israel, cum egrederentur de terra Ægypti.* Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad* 1m. Silentium *Exodi*, et *Levitici*, non adversatur positivo *Pauli* testimonio, qui illud ex traditione, aut ex revelatione scire potuit, nisi dicere velis, thuribulum aureum in tabernaculo fuisse, quia ad illius usum, et honorem pertinebat, quamvis non intra illud servaretur; vel cum *Origene*, *Tostato*, *Ribera*, et *Estio*, thuribulum aureum esse ipsum *altare thymiamatis*, unde in Graeco *Pauli* textu dicitur θυμιατήριον, quod significat etiam aram, in qua fiebant thymiamata, ac suffitus. Dicitur autem, altare illud esse in tabernaculo, quia ante illud positum ejus tantum usui serviebat, ut incensa ibi thura tabernaculum ipsum odore replerent, ac fumo obnubilarent. Quod autem altare illud ab Apostolo dicatur aureum, cum e lignis *Sethim* factum fuerit, nihil difficultatis habet, cum et aureum dicatur *Exod. XXXIX.* et *alibi*, quia laminis aureis undique tectum erat.

Ad 2m. Quamvis concedere quis nollet, auctorem Epistolae ad *Hebraeos* esse ipsum *Paulum* Apostolum, in lege doctissimum, aut alium auctorem divinitus inspiratum; certum tamen est ex ipsa sermonis serie, ipsum fuisse in Scripturarum lectione versatissimum, ac proinde stultum est opinari, illum non vidisse locum ex *III. Reg. VIII*, 9. ubi dicitur, in arca non fuisse aliud

nisi duas tabulas lapideas. Quapropter eo sensu dixisse putandus est, in arca fuisse urnam auream, et virgam *Aaron*, qui laudato III. *Regum* loco non sit contrarius. Quis autem sit ille sensus, varia est sententia eruditorum. *Theophylactus* arbitratur, urnam, et virgam non fuisse quidem in arca tempore *Salomonis*, de quo fermo est III. *Reg. IX*. 9. sed ibi deinde posita tempore *Jeremiae*; vel ut putat *Melchior Canus*, paulo ante. *Catharinus* censet, urnam, et virgam fuisse in arca tempore *Moysis*; sed inde ablata tempore *Salomonis*. *Vatablus* verba illa *III. Reg. IX*. 9. *In arca nihil aliud erat, nisi duae tabulae lapideae* refert ad reliquam Mosaicam legem; ut sensus sit, ex tota lege nihil aliud fuisse in arca, nisi duas lapideas tabulas, quae Decalogum continebant. *S. Thomas* opinatur, solas lapideas tabulas fuisse in arca, quatenus illae solae erant praecipuae, ad quas servandas arca fabricata est, licet ex occasione positae etiam in ea fuerint urna, et virga, tamquam aliquid minus praecipuum. *Lyranus*, atque alii putant, urnam, et virgam extra arcam fuisse posita in arcula quadam arcae ipsius lateri adjecta. *Faber Stapulensis* divinatur, Apostolum non scripsisse: *in qua*, scilicet in arca; sed *cum qua*, sive juxta arcam. Alii arbitrantur, verba illa, *in qua*, non esse referenda ad arcam, sed ad tabernaculum, de quo paulo ante mentio facta erat. Quippe tabernaculum etiam in Graeco feminini est generis, sicut et arca, ideoque deceptum interpretem pro *in quo* sive tabernaculo, scripsisse *in qua*, sive arca. Verum omnium verisimillima est sententia *Hervaei*, qui secundum Scripturarum sermonem observat, dici solere esse in loco aliquo, quod juxta illum, vel prope est. Sic Jesus ambulasse dicitur *in templo*, quamvis ambularet in *portícu Salomonis*, quae juxta templum erat *Joan. X*. Quod et in aliis Scripturarum locis frequenter occurrit; imo in hac ipsa *Pauli* Epistola, atque in eodem *Cap. IX*. ubi dicitur, thuribulum aureum, sive altare thymiamatis fuisse in tabernaculo, quamvis extra illud esset, sed valde vicinum, ejusque usui, ut paulo ante diximus, destinatum. Quapropter cum Moyses urnam auream cum manna jussu Domini posuerit coram arca, vel juxta illam E-

xod. XVI. 34. sicut et virgam *Aaron*, recte dicere potuit *Paulus*, cafuisse in arca.

Objic. LII. In ipsa Epistola *Cap. I.* 5. probat auctor, Christum esse Angelis meliorem ex illis verbis *II. Reg. VII.* 14. *Ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in filium.* Atqui verba illa, ut perspicuum est ex contextu, de *Salomone* dicta sunt. Ergo.

℟. *Dist. min.* Ad litteram, *conc.* In sensu mystico, ac spiritali, qui in eo loco etiam est ad litteram, qui praecipue est a Spiritu Sancto significatus, *neg.* Vide quae diximus *Lib. II. Cap.* 3. §. 7.

Objic. LIII. *Heb. IX.* 16. Probat auctor, Christum morte sua novum testamentum confirmare debuisse, sicut vetus testamentum morte, et sanguine victimarum confirmatum est; quia *ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Quo in loco testamenti nomine utitur ad significandam postremam testatoris voluntatem. Atqui non eo sensu veteris testamenti nomen usurpatur in Scripturis, et praesertim in loco *Exodi XXIV.* 8. quem ibi citat, sed pro foedere inter Deum et populum; unde in Hebraeo est nomen *Berith*, quod nullo modo testamentum, sed pactum significat. Ergo aliquam Hebraei sermonis, et genuini sensus Scripturarum ignorantiam prodit, et infirma utitur ratiocinatione, cum non necesse sit, pactum, sive foedus morte ejus confirmari, qui pacti auctor est. Celebris profecto haec est apud interpretes difficultas, ex qua, sicut ex ceteris, quae supra explicatae sunt; *Cajetanus* dubiam reddi putat hujus Epistolae auctoritatem.

℟. *Transeat min. neg. cons.* Dixi *transeat minor*: 1.° Quia non desunt interpretes, qui volunt nomen Hebraicum *Berith* aliquando, et praesertim in eo loco *Exodi*, quem citat Apostolus, non quodcumque pactum significare, sed illud, quod cum testamento conjunctum sanguine, et morte confirmatur; ideoque *Moysen* dixisse *hic sanguis foederis*, sive testamenti; quasi non futurum esset ratum foedus illud sine sanguine. Hinc Septuaginta interpretes, quos nemo dixerit, Hebraicam ignorasse linguam, nomen *Berith* διαθήκην, sive *testamentum* interpretati sunt. 2.° Quia pactum illud, quod per *Moysen* sancitum est, terrenamque hereditatem jux-

ta litteram pollicebatur, figura erat testamenti, quod morte Christi firmandum erat, atque hereditatem aeternam servabat fidelibus; ideoque in sensu spirituali etiam foedus illud Mosaicum vere testamentum erat. 3.° Quia Apostolus Graece scribens, ut multi verisimilius arbitrantur, ideoque utens versione Septuaginta interpretum, quam Synagoga jam universa recipiebat, nec ullum contra fidem continebat errorem, recte poterat ex nomine διαθήκην, quo interpretes illi usi sunt, argumenta deducere ad veritatem Christianae religionis, novique Testamenti confirmandam. Sed quamvis demus, nomen *Berith* in veteri Testamento nihil habere cum vero Testamento adfinitatis, non sequitur, aut Apostolum Hebraici sermonis hoc in loco ignorantiam prodere, aut inepte argumentari. Nam ut recte advertit *Calmet*, firmissima est ea Apostoli argumentatio: Christus aeternam hereditatem testamento fidelibus reliquit. Decuit ergo, testamentum illud morte ipsius confirmari. Hoc autem confirmat exemplo veteris testamenti, quod licet esset foedus quoddam inter Deum, et populum; tamen quia in foedere illo terram Chanaan, terrenaque bona pollicebatur Deus, etiam sanguine sancitum est. Igitur, ut idem advertit *Calmet*, non a re ejusdem generis Apostolus arguit, sed gradum facit a foedere ad testamentum, et argumentatur *a minori ad majus*.

Objic. LIV. Auctor ejus Epistolae *Cap. II.* 3. seipsum numerat inter Apostolorum discipulos. *Quomodo*, inquit *nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quae cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est?* Quod quidem Apostolus *Paulus* de se aperte negat in Epistola *ad Galatas*, ubi ait, se esse Apostolum *non ab hominibus, neque per homines* nihilque sibi alios Apostolos contulisse. Non ergo est auctor Epistolae ad Hebraeos divinitus inspiratus, sed discipulus aliquis Apostolorum ad eruditionem fidelium ingenio suo scribens.

℟. *Neg. cons.* 1.° Quia et si daremus, auctorem hujus Epistolae non esse Paulum Apostolum, non inde efficeretur, non esse divinitus inspiratum. 2.° Quia verba illa, quae posita in objectione sunt, non probabant, auctorem Epistolae *ad Hebraeos* fuisse Apostolorum discipu-

lum. Ait enim dumtaxat, doctrinam Evangelii fuisse miraculis *confirmatam in nos*, hoc est Hebraeos, ad quos scribebat. Vide *Estium* in *Comment.*

Objic. LV. *Hebr. XI.* 23. Postquam dixerat auctor, omnia ex Lege Moysis sanguine victimarum fuisse mundata, ita subdit: *Necesse est ergo, exemplaria quidem caelestium his mundari; ipsa autem caelestia melioribus hostiis, quam istis. Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit exemplaria verorum, sed in ipsum caelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Atqui absurdum videtur, caelestia mundari sanguine Christi debuisse; cum nihil in caelis immundum, et inquinatum esset. Ergo.

℟. *Neg. min.* Quid enim sit per *caelestia* in eo Apostoli loco intelligendum, et qua ratione mundari illa oportuerit, varie explicant interpretes, *Chrysostomus* quidem, aliique passim Graeci docent caelestia in eo Pauli loco militantem Ecclesiam significare, quae caelestis dicitur propter fidem, spem, charitatem, quae ad celestia spectant, cum praesertim quamvis adhuc in terra militet, ejus tamen conversatio in caelis sit, ut alibi idem ait Apostolus. Ex hac autem sententia, qua ratione caelestia mundari debuerint, facile intelligitur Sed cum Apostolus, postquam dixit, mundari caelestia melioribus hostiis debuisse, subjungat: *Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, sed in ipsum caelum*, videtur nomine caelestium, non militantem Ecclesiam, sed caelum ipsum intellexisse. Quapropter *S. Thomas* eo in loco non militantem Ecclesiam, sed caelestem patriam significatam putet, sive caelum ipsum, et caelestem habitationem, quam sanguine Christi mundatam esse dicit, non proprie, sed improprie eodem scilicet sensu, quo vetus tabernaculum, de quo ibi loquitur Apostolus sanguine victimarum mundabatur. Licet enim tabernaculum ipsum immunditiam in se ullam non haberet, eo tamen sensu mundari dicebatur, quod per sanguinem victimarum immunditiae hominum legales abstergebantur, quibus illi prohibebantur, ne ad tabernaculum accederent. Alii vero, et tabernaculum victimarum sanguine, et caelum sanguine Christi proprie mundatum esse ex Apostoli

sententia docent, eo quod sicut tabernaculum in medio populi quodammodo pollui peccatis Israelitarum videbatur, ita et caelum peccatis omnium hominum, quae saepe in sacris litteris usque ad caelum pertingere dicuntur, Deique majestatem offendere. Vides igitur non de veritate Apostolicae sententiae, sed potius de sensu esse quaestionem; in qua quaestione *Chrysostomi* sententia magnam verisimilitudinem habet; sed explicatio *s. Thomae* probabilior, et scopo Apostoli congruentior esse videtur.

Objic. LVI. *cont. Epistolam Jacobi.* Auctor Epistolae *Jacobi* nomine inscriptae, quam tamen non esse *Jacobi* nonnulli veteres affirmarunt, ubique insinuat bonorum operum necessitatem contra id, quod ait *Paulus* in Epistola *ad Romanos*, *justificari hominem per fidem sine operibus*, imo semper sola requirit opera, nullam fidei faciens mentionem. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Missa enim quaestione de auctore ejus Epistolae, de qua satis diximus *Lib. II. Lib.* 3. §. 3. falsum est *Jacobum Paulo* adversari, aut nullam requirere fidei necessitatem, ut *Lib. VII.* diximus. *Paulus* enim excludit opera, quae sine fide, et gratia Dei viribus naturae fiunt. *Jacobus* autem requirit opera ex fide facta, quae opera ipse *Paulus* ad justificationem necessaria esse docet *Rom. II.* 13. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* Ceterum etiam fidei necessitatem Jacobus innuat. Ait enim *Cap. I.* 3. *Probatio vestrae fidei patientiam operatur*; item: *postulet in fide nihil haesitans*; et mox: *voluntarie genuit nos verbo veritatis*, ad haec *Cap. II.* 22. *fides cooperabatur operibus illius*; item *Cap. V.* 15. *Oratio fidei salvabit infirmum.*

Objic. LVII. In eadem Epistola *Cap. I.* 25. legem veteris Testamenti *legem libertatis* appellat; quam tamen Apostolus *Gal. IV.* vocat legem servitutis. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Non enim veteris Testamenti legem appellat *Jacobus* legem libertatis, sed ipsum Decalogum, qui ad Christianos pertinet, non secus ac ad Hebraeos pertinebat, cum sit ipsa naturae lex, quae in novo Testamento lex libertatis est, quia praebetur etiam ad eam servandam gratia, quam vetus Testamentum per se non suppeditabat. Ideo autem Lutherani legem

Decalogi legem libertatis appellari nolunt, quia stulte contendunt, novum Testamentum nullas omnino leges, atque praecepta, praeter fidei necessitatem continere, quod portentum *Lib IX. Cap.* 11. confutavimus.

Objic. LVIII. Epistola secunda *Petri*, necnon secunda, et tertia *Joannis* non videntur eorum esse Apostolorum. Nam. 1.° Epistola secunda *Petri* diversum habet a priore stilum. 2.° Epistola secunda, et tertia *Joannis* nomen habent in principio *Joannis praesbyteri*, sive *senioris*, quem *Papias* apud *Hieronymum*, et *Eusebium* ait esse a *Joanne* Apostolo diversum. Ergo non sunt canonicae.

℟. *Transeat ant. neg. cons.* Quamvis enim daremus, Epistolas illas non esse *Petri*, aut *Joannis*, non inde fieret, non esse divinas. Sed nos id non concedimus; imo contrarium probavimus *Lib. II. Cap.* 3. neque stili diversitas, si vere sit, quod nec concedimus, Epistolam Petro abjudicare potest, cum idem auctor vario aliquando in diversis operibus utatur stilo; neque *Papiae* auctoritas tanti est, ut perpetuam Ecclesiae traditionem labefactare queat, nec denique nomen *Presbyteri*, sive *senioris* Apostolum dedecet, praesertim tam grandaevum ac senem.

Objic. LIX. Auctor 2ae. *Epist. Petri* aperte profitetur, se non esse auctorem divinitus inspiratum, sed iis auctoribus, qui Spiritu S. inspirati sunt, longe inferiorem. Postquam enim dixerat, se audivisse vocem Patris, qua Christum Filium suum declaravit, subjungit: *Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tamquam lucernae lucenti in caliginoso loco.* At si haec ipsa Epistola fuisset divinitus inspirata, non minus firma ejus esset auctoritas, quam sermo propheticus. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Firmiorem enim dicit propheticum sermonem iis, qui de prophetarum veritate minime dubitantes, de veritate testimonii Apostolici in aliquam suspicionem, aut dubitationem venire initio nascentis Ecclesiae poterant. Ideo, et Christus ipse, et Apostoli missionem suam non solum miraculis confirmarunt, sed etiam Prophetarum oraculis

Objic. LX. *cont. Epist. Judae* 1.° Epistola Judae te-

stimonium ponit ex libro *Enoch*, quem apocryphum esse constat. 2.° Rursus historiam refert altercationis Michaelis Archangeli cum diabolo; de qua omnino silet Scriptura divina. 3.° Fatetur se esse Apostolis posteriorem: *Memores*, inquit, *estote verborum, quae praedicta sunt ab Apostolis Domini nostri J. Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores secundum desideria sua ambulantes*, quod manifeste desumtum est ex *II. Pet. III. I. Tim. IV.* et *II. Tim. III.* Ergo.

℟. *Neg. cons. Ad.* 1m. Non inde efficitur, librum aliquem non esse divinum, quod testimonium assumat ex libro aliquo apocrypho, imo ex auctore Gentili, ut observat Hieronymus in *Cap. I. Tit.* cum et ipse Paulus Apostolus *Act. XVII. I. Cor. XV. et Tit I.* testimonia recitet *Arati*, *Menandri*, et *Epimenidis*. *Ad* 2m. Potuit id rescire *Judas* ex traditione non scripta, vel ex divina revelatione. *Ad* 3m. cum pluribus Apostolis *Judas* supervixerit, potuit eorum sententias in memoriam lectoribus revocare, cum et ipse *Petrus Pauli* Epistolam commemoret.

Objic. LXI. *cont. Apocalypsim. Cajus* R. Ecclesiae Presbyter apud Eusebium *Lib. III. Hist. Cap.* 22. Apocalypsim compositam asserit a *Cerintho* haeretico. Ergò.

℟. *Neg. ant.* Ait quidem Cajus: *Cerinthus per adumbratas revelationum, tamquam a magno quodam Apostolo conscriptarum species, absurda portenta, praestigiaque falso comminiscebatur.* Sed non ait, has *Cerinthi* revelationes esse ipsum *Apocalypsis* librum.

Objic. LXII. In ipso Apocalypsis libro *Cap. I.* 3. dicitur: *Beatus, qui legit, et audit verba prophetiae hujus, et servat ea, quae in ea scripta sunt.* Atqui nemo hactenus explicavit prophetiam illam, quae obscurissima est. Ergo.

℟. *Dist. min.* Quoad aliqua, quae ante effectum semper aliquid obscuritatis habere debent, *conc.* Quoad omnia, *neg.* In multis enim, quae pertinent ad fidem et bonos mores, ad poenitentiam, perseverantiam, futuram impiorum vindictam, et piorum gloriam, clarissima libri illius sententia est. In iis, quae prophetica sunt, multa quidem sunt explicata a Patribus; alia ante ef-

fectum obscura: sed in ipsa obscuritate sua utilia.

Objic. LXIII. Saepe in *Apocalypsi* mentio facta est templi quod auctor ait se vidisse in caelo. Sic *Apoc. XI.* 19. *Apertum est templum Dei in caelo* Apoc. XVI. 1. et 17. *Et audivi vocem magnam de templo.* Et *exivit vox magna de Templo.* Idem tamen *Apoc. XXI.* 22 ait: *Templum non vidi in ea* (scilicet in caelesti Jerusalem) *Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus.* Atqui manifesta ea contradictio videtur. Ergo.

℟. *Neg. min.* Non enim vidit *Joannes* in caelesti civitate materiale templum, cujusmodi in terrenis civitatibus esse solet. Vidit tamen spiritale templum, quod est ipse Deus, et Agnus, scilicet Christus, qui cum omnibus membris templum Dei est; cum de ipsis justis adhuc in terra militantibus dicat Apostolus *I. Cor. III.* 17 *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Itaque caelestis illius Jerusalem cives materiali templo non egent, cum Deus ipse templum illorum sit, in quo in aeternum requiescunt, et semetipsos ei offerunt, laudes ejus perpetuo celebrantes ipsique vicissim templum Dei sunt, in quibus Deus in aeternum inhabitat, et manet. Quoties igitur in *Apocalipsi* mentio templi facta est, de hoc spiritali templo est intelligenda, materiale enim templum in caelo non est.

Objic. LXIV. *Apoc. VII.* 4. *Et audivi*, inquit, *numerum signatorum centum quadragintaquatuor millia ex omni tribu filiorum Israel.* Deinde singulas recenset tribus, atque ex singulis duodecim millia signatorum esse ait, praetermissa tribu *Dan* Si dicas, nullum ex tribu *Dan* salvum fore; primo videtur hoc absurdum, deinde contrarium ei, quod principio positum erat, scilicet numerum signatorum *ex omni tribu filiorum Israel* extitisse. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Ita scribit, ut servet duodenarium numerum, qui in scripturis universitatem significat, *conc.* Ut definitum numerum ponat, *neg.* Cum ergo duo filii *Joseph*, *Ephraim*, et *Manasse* a *Jacob* veluti adoptati sint, tredecim tribus sunt filiorum Israel. Ad designandum tamen universitatem duodenarius saepe numerus in Scripturis ponitur sicut cum ait Christus in Evangelio *Matth. XIX.* 28. *Sedebitis super sedes duodecim*

Judicantes duodecim tribus Israel. Quem numerum ut *Joannes* servaret, ait ex duodecim tribubus Israel duodecim millia signatorum singillatim extitisse, quae simul centumquadraginta quatuor millia signatorum efficiunt; quem numerum nonnulli volunt, esse positum, non ut certum, ac definitum, sed ad designandos universos, qui salvi futuri sunt. Una igitur tribus necessario praetermittenda erat, sed cur potius praetermissa sit tribus *Dan*, incertum est. Quod enim nonnulli ajunt, ideo eam tribum omissam esse, quia ex eadem tribu nasciturus est Antichristus, cui omnes ex eadem tribu adhaerebunt, nullum videtur habere in sacris litteris fundamentum.

Objic. LXV. In *Cap. X. Apoc. v.* 7. ait auctor: *Sed in diebus vocis septimi Angeli, cum coeperit tuba canere, consumabitur mysterium Dei.* Deinde *Cap. XI.* 15. scribit septimum Angelum tuba cecinisse, nec tamen mysterium Dei consummatum est; adhuc enim per undecim sequentia capita multa alia mysteria se vidisse, auctor narrat. Ergo.

℟. Verba illa *Apoc: X. 7. consummabitur mysterium Dei* non significant, eo ipso momento, quo caneret Angelus omnibus mysteriis finem factum iri sed tunc futurum esse ut omnia consummari incipiant.

Objic: LXVI. Sunt quaedam in Apocalypsi aenigmati similia, quale est illud *Apoc. XVII.* 8. *Bestia, quam vidisti, fuit, et non est, ascensura est de abysso et in interitum ibit . . . . . . Et bestia, quae erat et non est, et ipsa octava est, et de septem est.* Si *fuit et non est*, quomodo de abysso dicitur ascensura, atque itura in interitum, quae ostendunt adhuc eam extare, necdum periisse? Rursus si octava, quomodo de septem est? Ergo.

℟. *Neg. ant.* Verba enim illa; *fuit, et non est*; posita sunt ad significandam celeritatem, quia bestia illa, per quam significatur Antichristus, destruetur. Non significant igitur jam tum periisse bestiam; sed illam ascensuram esse de mari, tantaque celeritate interficiendam, ut merito de illa dici possit, *fuit et non est.* Dicitur autem octava, et tamen de septem, quia licet octava sit vel numero, vel iniquitatis, et malitiae cul-

mine: regnum tamen ejus ex illis septem quae paulo ante dixerat conflatum erit.

Objic. LXVII. *Apoc. XX. 1. Et vidi*, inquit *Angelum descendentem de coelo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum: qui est diabolus, et satanas, et ligavit eum per annos mille; et misit eum in abyssum et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: et post haec oportet, illum solvi modico tempore.* Mille autem anni tempus omne designant, quod usque ad mundi finem excurret, ideoque tempore hoc toto diabolus in abyssum missus est, ne gentes seducat. Atqui Petrus *I. Pet. V.* 8. ait diabolum adhuc solutum omnium hominum saluti insidiari *Sobrii*, inquit, *estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quaerens, quem devoret* Ergo.

℟. *Dist. maj. quoad* 2m. *part.* Clausus est diabolus ne gentes servandas tanta vi tentet, quanta prius, Deo permittente, usus erat: quantaque utetur in fine mundi, cum solvetur modico tempore, *conc.* Ut omnino neminem tentet, *neg.* Tanta igitur erit in fine mundi, Deo permittente, Diaboli potentia, totque ille tunc adhibebit nocendi artes, ut respectu ejus temporis, diabolus antea clausus, ac ligatus videri possit, ne quem tentet, ac seducat nisi eum, qui voluntario in ejus laqueos se conjecerit.

Objic. LXVIII. Ultimum *Marci* Caput non solum nonnulli rejecere veteres, verum etiam rationem, cur illud rejicerent, reddiderunt; quia scilicet nonnulla continebat, quae Manichaeorum haeresim aperte insinuabant; qualia erant ista, teste Hieronymo *Lib. II. cont. Pelag. Saeculum istud iniquitatis, et incredulitatis substantia est, quae non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Inserta enim erant verba illa aliena manu, atque soppositilia, ut ex collatione meliorum Codicum, atque exemplarium, quae in Ecclesiis Apostolicis servabantur, deductum est: ideoque rejectis iis, quae spuria erant, non erat integrum illud Caput respuendum; nec erat credibile, *Marcum*, narratis iis,

quae ad passionem Christi, et mortem pertinebant nihil de ejus resurrectione addidisse. Hinc Ecclesia Catolica semper caput illud ut divinum retinuit, ac venerata est; imo in majoribus sollemnitatibus Paschae et Ascensionis recitare consuevit.

Objic. LXIX. Historia sudoris Christi sanguinei, et Angeli, qui *apparuit ei de caelo confortans eum Luc. XXII.* ut testatur Hilarius *Lib. X. de Trin. et* Hieronymus *Lib. II. cont. Pelag.* a pluribus aberat codicibus. Item historia mulieris adulterae *Joan. VIII.* ut observat *Erasmus* ex *Eusebio Lib. III. Hist. Cap.* 39. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Mendosi erant codices illi, a quibus nonnulli falso zelo eas historias abraserunt, cum tamen nihil inde labefactetur, ut ipsi falso opinabantur, sed maxime confirmetur Catholica veritas. Ideo Patres antiquissimi historias illas ut canonicas, et divinas laudant, easque Ecclesia Catholica in sacris recitat.

Objic. LXX. Saltem nonnullas *Danielis* partes non divinae, sed supposititiae sunt, ut est historia Susannae *Dan. XIII.* historia Belis, et Draconis *Dan. XVI.* hymnus trium puerorum *Dan. III.* et ipsius *Danielis* mira liberatio e lacu leonum *Dan. VI.* Nam 1.° quod pertinet ad *Susannae* historiam, ipse ibi *Daniel* puer fuisse dicitur *Dan. XIII.* 45. cum tamen *Cap. VI.* 2. dicatur unus de praecipuis *Darii* satrapis; imo et *Ezechiel* tempore Nabuchodonosor *Ezech. XIV.* longe ante Darium mentionem faciat Danielis, tamquam mortui, relictis filiis. Illud etiam perspicuum videtur falsitatis argumentum, quod *Dan. XIII.* 54. *et seq.* allusio fit Graecorum nominum: cum enim dixisset senex, se vidisse *Susannam* sub arbore *schino*, respondit Daniel: *Angelus Dei scindet te medium*, quae paronomasia in Hebraicis nominibus non est; ideoque Graecum auctorem ejus additamenti demonstrat. Accedit, quod capitalis causa a Judaeis ipsis judicata dicitur, cum tamen illi captivi jus vitae et necis sub Regibus Assyriis habere non potuerint. 2.° Historiam *Belis*, et draconis a *Daniele* interfecti Hieronymus *Praef. in Danielem* appellat *fabulas*, atque eodem in numero hymnum trium puerorum habet. Inquit enim: *apud Hebraeos nec Susannae habet historiam, nec hymnum trium puerorum,*

nec Belis, draconisque fabulas. 3.° In *Cap. VI.* Daniel noctem unam in lacu leonum fuisse dicitur; at *Cap. XIV.* sex diebus, ibique per prophetam *Habacuc* ab Angelo ex Judaea translatum, mirabiliter fuisse pastum; quod manifestam contradictionem habet. Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad* 1.m Ea quae *Cap. XIII.* referuntur de *Susannae* historia, prius acciderunt, quam quae in *Cap. VI.* narrantur, licet ad finem libri rejecta sint, propterea quod in Hebraicis non haberentur Codicibus. Sed in vetustis Graecorum exemplaribus initio libri posita erant, ideoque non mirum, si ibi *Daniel* dicatur puer sub *Nabuchodonosor*, qui sub Dario erat aetate maturus. *Ezechiel* vero nec mortuum *Danielem* esse ait, nec filios habuisse. Sed quia celebris jam tum erat ejus vitae innocentia, et sanctitas, ait: *Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel et Job. . : nec filios, nec filias liberabunt.* Graecorum autem nominum allusio tribui potest interpreti, qui sententiam *Danielis*, quae sine ea *Paronomasia* satis firma erat, voluit etiam commoda illa figura in Graeca versione illustrare. Ceterum licet Judaei Babiloniis subjecti essent, causas tamen, quae de criminibus adversus Mosaicam legem admissis agitabantur, ipsi per se, suosq. seniores judicare permissi sunt. *Ad* 2.m Ipse se explicat Hieronymus *Lib. II. cont. Ruffinum*: *Quod autem*, inquit, *refero, quid adversum Susannae historiam, et hymnum trium puerorum, et Belis, et draconis fabulas, quae in volumine Hebraeo non habentur, Hebraei soleant dicere, qui me criminatur, stultum se sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi. Ad* 3.m Nulla contradictio est, cum bis *Daniel* in lacum leonum missus sit.

Inst. Si *Susannae* historia, hymnus puerorum, et Belis, draconisque historia in Hebraicis voluminibus non sunt; censeri suppositítia debent. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Fuerunt enim olim haec in originali Hebraico, ut patet ex *Theodotionis* versione, ex qua illud, quod in Hebraicis, ut nunc sunt, codicibus deerat, suppletum est. Vide Calmet *Praef. in Danielem, et in Comment.*

Objectiones, quae contra Deuterocanonicos libros ex

Hieronymo, paucisque aliis veteribus, qui de iis vel dubitarunt, vel non esse divinos asseruerunt, puta *Melitone*, Laodicaena synodo; etc. opponi solent, satis *Lib. II. Cap.* 3. dissolvimus; non enim paucorum opinio, aut dubiatio, universalis Ecclesiae traditionem labefactare potest, cum praesertim *Hieronymus* professus sit, se non suam protulisse, sed aliorum retulisse sententiam.

Objic. LXXI. Concilium Tridentinum eo dumtaxat consilio coactum est, illudque tantum propositum habuit, ut falsa haereticorum dogmata damnaret, non autem, ut Catholicorum controversias definiret, ideoque eam sibi legem constanter servandam proposuere Patres, ne quaestiones inter Catholicos agitari solitas definirent, ut testatur Pallavicinus *Lib. VII. Cap.* 10. Atqui ea quaestio de divinitate eorum librorum, de quibus hucusque disputavimus, inter Catholicos ipsos erat agitata; ut enim omittamus ceteros, Cardinalis *Cajetanus* eos e canone expunxerat. Ergo male ad eam definiendam ventum est.

℟. *Neg. min.* Soli enim haeretici communem omnium Catholicorum sententiam Theologorum oppugnaverant, eo quod libri illi plerique eorum errores nimis aperte redarguebant. Nulla erat Theologorum Schola, quae libros illos rejiceret, ideoque si qui erant singulares Theologi qui rejicerent, ii ex haereticorum libris decepti erant. Unde Cardinalis *Cervinus* eam *Cajetani*, paucorumq. aliorum opinionem referens, ait: *incompertum esse, undenam ea dubitatio exorta fuerit, ac verisimile esse, illam esse haustam ex haereticorum cloacis*, ut auctor est idem Pallavicinus *Lib. VI. Cap.* 11.

Quod igitur tum *Lib. I. Cap.* 8. tum *Lib. II. Cap.* 3. in nostris *Institutionibus* strictius pro instituta ibi brevitate prosecuti sumus, id in hac *Dissertatione* satis, ut opinor, copiose pro rei dignitate tractavimus, ut adolescentibus nostris neque ad defendendos sacros libros arma, neque ad hostes profligandos tela deficiant. Si qua tamen in re non penitus sacrorum sententiam librorum assecuti sumus, id ut imbecillitati ingenii nostri condonetur, ab lectorum nostrorum humanitate, benevolentia, aequitate, sapientia, et vehementer petimus, et non immerito expectamus.

F I N I S.

MONITUM.

Si quando in sex istis primis Institutionum Theologicarum voluminibus Auctores, librosque indicavi aliquos aut heterodoxos, aut alioqui prohibitos, scito me non eo consilio eos indicasse, quod eorum lectionem commendarem, sicut in *Praefatione* totius Operis professus sum. Quod enim sana doctrina, et Ecclesia, ejusque supremus Pastor improbat, absit, ut ullo pacto laudandum putem. Quod et de sequentibus duobus voluminibus dictum volo.

Digitized by Google

I N D E X

VA1
1530076

Digitized by Google

Digitized by Google

164 Lat 6

Google